





2
6
525








Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 2.6.525

SAMUELIS ANDREÆ
S.S. Theol. Doctoris & Philoſoph. Prof.

EXAMEN

GENERALE CABBALÆ PHILOSOPHICÆ D. HENRICI MORI
Theologi & Philoſophi Angli

Quâ

HISTORIAM CREATIONIS
novo modo fruſtra illuſtrare conatus eſt.

Publicis Diſputationibus ventilatũ Herbornæ.
Inſerta eſt Digreſſio gemina

I. De Philoſophia Scripturarum Interprete adverſus Exercitatorem Paradoxum.

II. De nupera Alphabeti verè naturalis Hebraici delineatione factâ à F. M. B. ab Helmont.

Cum Indice gemino.





HERBORNÆ Typis TOBIÆ JACOBI, & Joh. Chriſtophori Molleri, MDCLXX.

Philo Judæus

περὶ βίου θεωρητικοῦ.

Οὐ παράγωγα γὰρ ταῦτα πάντα, δυνάμενα τῇ καινότητι τῆς ἐπινοίας τὰ ὦτα δελεάζειν, ὧν ἐκ πολλοῦ τοῦ περιόντος οἱ Μωσέως γνώριμοι μεμαθηκότες ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐρᾷν ἀληθείας καταφρονοῦσιν, ἀνεξαπάτητοι διατελοῦντες.

Theophilus lib. 2. ad Autolycum.

Δοκεῖ δὲ τὰ ὑπὸ τῶν φιλοσόφων ἢ συγγραφέων καὶ ποιητῶν εἰρημένα ἀξιόπιστα μὲν εἶναι, παρὰ τὸ φράσει κεκαλλωπίσθαι· μωρὸς δὲ καὶ κενὸς ὁ λόγος αὐτῶν δείκνυται, ὅτι πολλὴ μὲν πληθὺς τῆς φλυαρίας αὐτῶν ἐστι· τὸ τυχὸν δὲ τῆς ἀληθείας ἐν αὐτοῖς οὐχ εὑρίσκεται· καὶ γὰρ εἴ τι δοκεῖ ἀληθὲς δι' αὐτῶν ἐκπεφωνῆσθαι, σύγκρασιν ἔχει τῇ πλάνῃ.

Ambrosius
lib. 6. Hexaëm. cap. 2.

Certè Moyses eruditus erat in omni sapientia Ægyptiorum: sed quia spiritum Dei accepit, quasi minister Dei inanem illam & usurpatoriam philosophiæ doctrinam veritatis rationi posthabuit, & ea descripsit mihi quæ nostræ spei accommoda judicavit.

Illustris-

Illustrißimo atque Reverendißimo Domino

DNO OTTONI

LIBERO BARONI de SCHWERIN, Domino in Alten Landsberg / Oldewigßhagen/ Zachan &c. Serenissimi ELECTORIS BRANDEBURGICI summo omnium Consiliorum Præsidi eidemque à Consiliis status & feudorum intimis, Templi Cathedralis Brandeburgensis Præposito & Electoratus Brandeburgici Camerario hæreditario &c.

Domino suo gratiosissimo.

Quod homo umbraticus, vix de nomine notus, nedum admissus, inter tot magni nominis clientes & cultorum varii gradus agmina, è longinquo audeam com-

parere, temerè quidem & superbè factum videbitur multis, non item ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TUÆ. Est enim hoc istis, quos Natalium splendore insignes rara Virtus extulit & in summo rerum fastigio collocavit, proprium, ut ab illâ asperitate, quæ ex humili loco solo favore surgentes persæpe comitari solet, sint alienissimi. Planè ut divini Numinis Majestas à cultu suo neminem arcet nisi profanum, & Ejusdem in his terris Vicarii, PRINCIPES OPTIMI æquè ac MAXIMI, ad infimorum etiam preces & vota exaudienda, suscipiendas oblationes, quandoque descendunt: Sic & illi, quorum felici dextera, forti consilio & providis suggestionibus, horum felix regimen dirigitur & conservatur, DOMINORUM exemplo benigni non minus quàm potentes volunt haberi. Temperant istam summam fortunam majori modestia. Et quo plus ipsos reliquis mortalibus præstare

re

re jubent PRINCIPUM favor & Heroicarum Virtutum merita, eo magis solliciti sunt, ne sortis communis immemores videantur. Unde frequentiùs se ad aliorum vota benevolè ac gratiosè demittunt, dum eo altius se demittentium manibus tolluntur. Faciles ad Istos aditus sunt literatis, cùm & Ipsi in literis eminent. Nec ægrè ferunt, si minorum quoque gentium scriptores, sub alio cœlo absentes, præsentium venerationem & in literis eminentium studia, passibus licet haud æquis, æmulentur, suumque cultum & observantiam demissè veniant testatum.

Quocirca & ego hujus publici alloquii veniam ab ILLUSTRISS. EXCELL. TUA haud difficulter me impetraturum confido. Eam enim, non magìs fides cordatis consiliis MAXIMO PRINCIPI dudum approbata, toti Germaniæ ac Europæ Orbisque parti meliori conspicuam reddit; quàm sacrorum cura & pro-

pensus

pensus in literatum ordinem affectus, quibuscunque studia sacra tractantibus facilem spondet. Levidense munusculum literarium quâ par est submissione ac observantia offero. Dissertationes nempe aliquot hîc ventilatas & jam in unum fasciculum collectas, quibus vim à S. Literis arceo, sub prætextu Philosophiæ & naturalis cujusdam Alphabeti à triumviris ad idem collimantibus intentatam. Quorum unus Angliæ suæ notissimus & membrum Societatis Regiæ Londinensis. Alter in aulis Germaniæ & Scholis Medicorum celebris. Tertius verò, anonymus licet, nemini tamen non dictus & partu infausto magnarum nuper in Belgio concertationum occasio. Dedi operam, ut istorum commenta paterent quàm clarissimè, eamq; omnem ILLUSTRISS. EXCELL. TUÆ humili obsequio sacram esse volo. Quod si crimen est TANTUM NOMEN chartis perituris præfigere, multos ejusdẽ

com-

complices habeo, habiturus & veniæ consortes. Absit enim ut credam huic tumultuariæ scriptioni, in argumento spernendo, aliquod vel nunc vel mox pretium fore, aut eandem ullatenus dignam esse quæ sub tã ILLUSTRI PATRONO in lucem prodeat. TUUM NOMEN victuris monumentis alii consecrarunt & gestorum præclarè memoria usque faciet perennare. Mihi animum devotissimum qualicunque indicio comprobasse sufficit, & quod, pereuntibus hisce chartis, non peribit tamen, nec, dum vita suppetit, deficiet unquam submissa veneratio, quâ TE ILLUSTRISSIME DOMINE prosequitur

ILLUSTRISSIMÆ EXCELLENTIÆ TVÆ

æternùm devotus
& deditissimus Cultor

HERBORNÆ
Idibus Martiis Anni MDCLXX. SAMUEL ANDREÆ.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Necessum habeo, Lector benevole, in limine hujus Examinis distinctiùs exponere, quodnam ejus sit argumentum meumque fuerit in eodem suscipiendo institutum. Argumentum quasi triplex est, dum Examini Cabbalæ Morianæ duæ digressiones inseruntur, quarum una Exercitatorem quendam paradoxum vel impiũ potius, altera Helmontium oppugnat. Caput disquisitionis est *Conjectura Cabbalistica D. Henrici Mori,* Theologi & Philosophi Angli, quâ edito eam in rem Anglicè libello, ante annos complures in tribus primis Geneseos capitibus ostendere voluit, quomodo divitiæ sensus in S. Literis juxta *triplicem Cabbalam*, vel traditionem ab aliis acceptam *literalem* scilicet *Philosophicam* & *moralem* essent eruendæ. *Literalem* vocat, quæ primo aspectu legenti obvia est ac idiotis servit. *Philo-*

sophi-

sophicam, quæ à nauseantibus Philosophis & viris literatis, per applicationem eorum quæ de materiâ subjectâ apud alios legerunt aut ceu vera admiserunt, literæ ac verborum contextui est accommodanda, vel potius (ut specimen Morianum ostendit) violenter inferenda. *Moralem* denique, quæ historicè dicta ad mores applicat. Istius autem *Conjecturæ* ea tantùm pars examini subjicitur, quæ *Cabbalam* seu explicationem *Philosophicam capitis* 1. *Geneseos* adeoq; *Historiam Creationis* spectat. Ita, tamen ut quæcunque ab authore Moro ad defensionem horum conatuũ hinc inde in Præfationibus, Defensione atque Appendice defensionis congesta sunt, certis titulis distincta atque digesta unà proponantur & his disjectis ipsa Cabbala dissolvatur, idque hoc ordine. *Disputatione* 1. ostenditur præcipuè, scopum quem D. Morus in isto conatu videri vult habuisse, Atheorum scilicet convictionem,

tali medio nec attingi poſſe nec debere, cùm multa ſupponantur ab authore Cabbalæ, Atheis non facile credenda, & veritas quoque per colluſionem cum hoſtibus haud defendi debeat. Tum etiam ipſa *Cabbala Philoſophica* ex Anglico idiomate translata proponitur. Hinc *Diſput.* 2. diverſa de eadem judicia enumerantur, & cauſa cur aliquod Examen mereatur redditur. Ipſum verò hâc ratione inſtituitur, ut probetur 1. Iſtam τειχοτομίαν ſenſus triplicis, *literalis, Philoſophici* & *moralis* fundamento carere & ab Origene aliisque per ſenſum myſticum Grammatico derogantibus deſumtam eſſe. 2. Ipſam illam expoſitionem quæ examini ſubjicitur malè *Cabbalam Philoſophicam* vocari & à gentilium Philoſophis Pythagora, Platone & Plotino temerè petitam. 3. Numerorum myſteria vanè & frivolè in eâdem captari, cùm iſta Arithmetica hæreticis fuerit plerumque familiaris & errorum

rum

rum fœcunda mater. 4. Intentionem autoris, benè de publico merendi conatibus ejusmodi Cabbalisticis & Mosen singulari modo illustrandi, frustraneam & inutilem esse. 5. Objectiones quas in Appendice Defensionis declinare conatus est & removere, partim adversus hanc Cabbalam fortiter militare, partim à D. Moro ita solutas esse, ut non uno errore & absurditate constrictus teneatur. 6. Denique, authores ex quibus hanc Cabbalam desumsit, circa rationem κοσμοποιΐας sibi mutuò contrariari, adeoque nullatenus in unam Cabbalam compingi posse, quin hæc fictitio saltem nexu cohæreat, sponte diffluat ac dissolvatur. Quæ duo postrema *Disp.* 3. ostenduntur.

Inserta verò huic examini est digressio gemina adversus Exercitatorem de Philosophia Scripturarum interprete atque Helmontii fictitium Alphabetum, tum quia uterque ad eundem cum Cabbalistâ

Moro ſcopum collimat, qui eſt, ſenſum Scripturæ ex noſtris ideis & præconceptis opinionibus petendum eſſe, tum quia Helmontius imprimis huic ſcriptioni occaſionem dedit.

Nam ut de meo inſtituto jam loquar ejusque rationem reddam, facile prævideo, hunc meum laborem ceu inutilem à plerisque damnatum iri, adeoque mihi neceſſariò ad illud, *Cui bono*? reſpondendum. Quid enim attinebat tale commentum linguâ ſcriptum vulgò ignotâ extra Angliam efferri & refutatione quaſi commendari? Quid opus erat operam in re inutili & haud neceſſaria locare? Dicam ergo quid me ad eam impendendam induxerit & ſtimularit. Id fuit elogium quod infra *pag. 99*. citatur. Videbam, in mediâ Germaniâ iſtud Viri aliàs docti ſomnium non tantum innotuiſſe, ſed etiam applauſum inveniſſe, idque inter illos qui ſpirituales S. Scripturæ interpretes

pretes soli volunt audire cæterosque ceu literiones ex alto despicere solent , prementes vestigia *Weigelii, Paracelsi, Nagelii, Behmii, Werdenhageni* & similium, quorum numerus haud exiguus passim est, somnia quoque ab aliis nominatim Celeb. D. *Joh. Crocio* p. m. solidè refutata sunt. Ideoque cùm D. Morus, Philosophus celebris & multis scriptis editis clarus, causæ istorum fanaticorum patrocinatus esset, quam in suo *Enthusiasmo triumphato* iverat destructum, atque ex isto elogio constaret, legi illam *Conjecturam Cabbalisticam* in Germania ac apud tales homines in pretio esse: putavi me non penitus frustra futurum, si istius commentis refellendis ita aliquid temporis tribuerem, ut simul historiam creationis illustrarem. Ex gentilismo multa esse in Christianismum ab hæreticis invecta, & mixturam Theologiæ ac Philosophiæ, olim temerè à multis Veterum factam, erroribus occasio-

nem dedisse & corruptioni mysteriorum fidei, apud omnes non planè in Antiquitate hospites in confesso est. Nec etiam negandum facile, tantundem fere periculi à magnâ literarum luce, quâ jam fruimur Dei beneficio, religioni imminere quàm superioribus seculis à barbarie, istis in superstitionem, hoc in Atheismum vel Scepticismum propendentibus, nisi opera detur, ut ista quidvis asserendi & etiam quæ ἐξαγώνια fuerunt in discrimen vocandi libertas, suis limitibus contineatur neque in licentiam degeneret. Ideoque credidi non improbatum iri bonis hoc meum in refellendis istis Morianis commentis institutũ, quia S. Literas contra fanaticos defendi & hoc ipso quædam eò spectantia ex Antiquitate producta sunt, quæ ostendunt unde isthæc licentia primùm profluxerit & quantum Pythagoricis ac Platonicis numeris sit deferendum. Cùm verò constituissem ista publicè ventilare, legibus Professionis constrictus Cabbalam Philo-

sophicam à reliquis separare coactus fui, in ipso etiam cursu sententiam mutare, atque Examen specialius in aliam occasionem differre, prout videro hoc generale exceptum iri. Quò reservantur omnia, quæ nominatim *pag. 59.* & *138.* promissa sunt. Cæterùm perstrinxit jam istam Cabbalā haud obscurè Eruditus Anglus *Stillingfleet* in *Orig. Sacr. lib. 3. c. 2. & 3.* præcipuè *pag. 425.* & *510.* An verò quis eam ex professo aggressus sit, nescio. Quod si falsa intelligere primus sapientiæ gradus est, juxta Lactantium, ne sic quidem inutilis erit hæc mea opella eâ sui parte quâ aliorum commenta exponendo clarius, eadem satis refutat. De Cartesio autem & Wolzogio nemo mihi litem moveat. In neutrius verba juravi. Laudo & defendo utrumque, ubi videtur laudem & defensionem mereri. Ubi non, ab utroque discedo, juxta monitum Apostolicum: πάντα δοκιμάζετε· τὸ καλὸν κατέχετε. Quod in omni studiorum genere obser-

obſervandum arbitror æquè ac modeſtiã, quam in hoc Examine ubiq; conatus ſum ſervare, niſi ubi ipſa rei indignitas aliquid durius extorſit. Et quoniam filo continuo ſcripta ferè ſunt omnia, Index copioſus in fine ſubjunctus eſt, qui quaſi totius Opuſculi ſceleton, ad lectionis tædium levandum. Cùm etiam has diſſertationes relegenti quædam hinc inde occurriſſent emendanda atq; addenda, ea notavi & in calcem rejeci. Ad quæ peroptem lectorem recurrere, ubi legendo offendet aliquid animadverſione dignum. Nam aut vehemẽter fallor, aut pleraq; à me ipſo correcta inveniet. Arabum celebre dictum eſt אול נאס אול אלנאס *Primus qui oblitus fuit, primus homo fuit.* Errare itaque humanum eſt & errantibus ignoſcere. Quam veniam petimus damusque viciſſim. Vale Lector benevole meisque conatibus fave. Dabam Herbornæ poſtridie Id. Martias Anni MDCLXX.

DISPU-

DISPUTATIO PHILOSOPHICA PRIMA *Ad* CREATIONIS HISTORIAM MOSAICAM.

Justo examini subjiciens Viri cætera doctissimi D. *Henrici Mori*, Theologi & Philosophi Angli, *Cabbalam Philosophicam*, (ut vocat) quâ dum ceu genuina interpretatione istam novo modo illustrare & adversus Atheos ejus majestatem tueri conatus est, revera obscuravit plurimũ & lucis loco tenebras induxit.



Alcem videri posset in alienam messem mittere, qui rebus naturalibus docendis auctoratus de divinis præsumit disputare, Philosophicis tradendis præfectus ad Theologicas quæstiones quadantenus excurrit, ni & suæ forent in quæstionibus mixti generis Philosophiæ ancillantis partes & in mysteriis Fidei adversus Atheos ac Epicureos defendendis necessariũ à ratione petendum esset auxilium. Quamvis enim *religio à Philo-*

 sophis

sophis haud sit quærenda; uti olim *Augustin. de vera relig. cap.* 5. rectè monuit: ab officio tamen Philosophi Christiani non est alienũ, dispicere quousque ratio in rebus quarum πληροφορίαν ex S. Literis haurimus assurgere valeat; exponere quis terminorum sit usus & abusus, quæ differentia, quodnam ad convincendos ὀρθοδοξίας adversarios pondus; ostendere etiam quantum gentilium placitis tribuendum sit & quàm cautè in istis versandum. Ejus (inquam) muneris quoque est, illa quæ ex solo suo tranferri solent, aut tanquam zizania eradicare ne deinceps noceant, aut ceu utiles plantas resectis luxuriantibus stolonibus & virgultis repurgare ac Soli veritatis & justitiæ ad instar heliotrophii obvertere, quo ejus radiis illustrentur, vim ac vigorem accipiant.

II. Licuit nempe Philosophis hactenus passim in literariis palæstris de Deo ejusque attributis & operibus creationis ac providentiæ publicas instituere συζητήσεις, concursum causæ primæ cum secundis explicare, de libero arbitrio, necessario & contingenti disquirere, animæ rationalis originem & facultates exponere, angelorum existentiam & vires agendi in corpora investigare, de persona & supposito, concreto & abstracto, signo & signato ac similibus agere, quamvis, nec immeritò, non citra summam cautionem, ne quid per philosophandi libertatem religioni præjudicaretur. Itaque haud censendus sum extra oleas vagari, dùm eadem libertate uti frui constitutum est atque iisdem limitibus *de creationis historia per Philosophiam illustranda* disceptationem cum Viro cætera docto ingredi stat sententia. Cui ut ætate ac eruditione me multis parasangis cedere lubens agnosco, sic causæ bonitate hic superiorem esse evidenter ostendam. Ubi enim de majestate sacrarum literarum agitur adversus homines profanos asserenda, potior longè est illorum causa qui januam quibuscunque fanaticorum somniis sub fictitio aliquo sensu mystico sensim irrepentibus occludunt, quàm eorũ qui allegoriis incertis qua data porta irruentibus aditum struunt & hominum melancholicorum deliriis in S. Literas invehendis viam complanant.

III. Non uno modò à Philosophis in considerando divinæ creationis opere peccari arbitror. Vel enim de gentilium opinionibus solliciti

liciti sunt nimium & istis imbuti explicationem historiæ ἑξαημέρȣ Mosaicæ aggrediuntur, chaos quoddam aut nescio quam materiam primam fingentes. Vel Judæorum Cabbalam & Veterum quorundam allegorias majestatem quandam Scripturis contra Atheos conciliaturi sequuntur, ac aliàs quoq; in modo creationis describendo sibi liberiùs indulgent ἐμβατεύοντες ἃ μὴ ἑώρακασι, quorum curiositatem Apostolus reprehendit Coloss. II. 18.

IV. Ad istam classem pertinent non tantum Hermogenes *cæteriq; materiarii hæretici* uti à *Tertull. in lib. adversus Hermog. cap.* 25. vocantur, qui ex Platonicis quasi placitis materiam quandam æternam statuebant, ex qua cuncta essent creata: sed etiam omnes Philosophi quotquot illorum vestigia sive imprudenter sive data opera premunt. Tales, qui creationem propriè dictam ad rerum immaterialium & spirituum productionem restringunt, prout factum à *Pererio Phys. lib.* 5. *cap.* 5. aut speculationibus suis de materia prima suaviter indulgent, circa quam imprimis depingendam eleganter, *Fluddus de Fluctibus* cæteris palmam præripuisse visus est. Tales quoque vel imprimis, qui negant mundum ex nihilo creatum propriè, quoniam proximè & immediatè ex cœlis & elementis sit productus, absurdum etiam sit, posse aliquid esse materiatum quod tamen ex nulla materia est productum, quæ egregia sunt *Templeri* philosophemata *Phys. general. cap.* 2. *qu.* 9. In quibus ut & aliis se strenuum Vorstii Collegam & fidum Socinianorum discipulum probat, cùm parilia apud *Volkelium* legantur *lib.* 1. *cap.* 4. ubi *nihilum,* terminus à quo creationis, ipsi est *materia informis ex qua Deus omnia creavit* & hanc nomine terræ & aquæ vult indigitari à Mose Gen. I. 2.

V. Ad hanc verò sunt revocandi quotquot Philonem Judæum & Judæorum traditiones de מעשה בראשית ut voçant, seu *Opere Creationis*, atque *Originis*, *Augustini* aliorumque veterum allegorias incautius sequuntur, aut cæteroquin in mundi opificio describendo ratiociniis suis & principiis Philosophicis plus quàm par erat tribuunt. Quo nomine nonnulli ex recentioribus Philosophis Theologorum censuram incurrerunt. Num rectè in omnibus, jam non agitur. Id saltem certissimum est & ex sequentibus ut arbitror constabit, multis modis periculosam esse illam *Historia creationis Mosaica* expositionem

nem, quam animus eſt aliquot ἐὰν ὁ κύριος θελήσῃ diſſertationibus juſto & publico examine proſequi.

VI. Eam verò protulit haud pridem Vir cætera doctiſſimus & Philoſophus ac Theologus inſignis, ſed Platoni & Origeni addictior, D. *Henricus Morus*, S. Th. D. & in Academia Cantabrigienſi adhuc ante quinquennium Collegii Chriſti Socius, notus inter ſuos ex magno volumine Theologico quod *Explicationem magni myſterii pietatis* inſcripſit atque in eo *libris* 10. multa eruditè diſcuſſit, *Antidoto contra Atheiſmum, Enthuſiaſmo triumphato* aliisque ſcriptis vernacula lingua editis, quæ in unum volumen collecta poſtmodum & anno 1660. recuſa fuerunt : inter exteros verò, ex variis doctiſſimis Epiſtolis ad Nobiliſſimum Philoſophum *Carteſium* datis, quæ inter hujus Epiſtolas proſtant. Quem non obſtante in quibuſdam diſſenſu adeo magni fecit, ut non veritus ſit in *Appendice Defenſ. Cabbalæ Philoſ. cap.* 1. *§.* 9. eum ob ſtupendas inventiones Mechanicas cum Bezaleele & Aholiabo comparare. Is enim triplicem quoque *Conjecturam Cabbaliſticam*, (ſic nominat) *literalem*, *Philoſophicam* & *moralem* tanquã novam lucẽ, tenebras licet revera, tribus prioribus Geneſeos capitibus per paraphraſin intulit & ante annos quindecim primùm Anglicè in lucem juſſit exire, non ſine *Defenſione* annexa, cui deinde dicta *Appendix* adjuncta fuit cum Opera ejus Philoſophica in unum Volumen colligerentur) quâ & rationem hanc novam tueri, & quicquid videbatur objici poſſe amoliri conatus eſt. Quæ expoſitio magnam partem ex Platonis & Pythagoræ placitis deſumta numerorum myſteriis innititur, ſenſum quendam Scripturæ myſticum ſtatuit à Grammatico diſtinctum, allegorias extollit, denique (uti author in *præfat. Defenſ.* agnoſcit) *motum terræ* & *animarum* προϋπαρξιν ſeu *praeexiſtentiam* veluti palmarias hypotheſes ſupponit.

VII. Quamvis autem *in Præfat. Conject.* profiteatur ſe hanc ideò *Conjecturam* vocaſſe, quod Scepticè ſeu problematicè ſaltem eam propoſuerit aliis diſcutiendam; & *in præfat. Defenſ.* addat, ſe iſtas Cabbaliſticas concluſiones eousque ſaltem ceu veras aſſerturum, quoad à docto aliquo Philoſopho vel Theologo (quorum neutrum mihi ullatenus vendico) de falſitate illarum fuerit convictus: tamen

tamen quantum isti tribuat ceu verissimæ hinc inde non dissimulat. Vocat enim easdem *in Præfat. Conject. ponderosas veritates & abstrusa quidem sed irrefutabilia paradoxa.* (weigthy truths & high but irrefutable paradoxes.) Ait *se nihil videre quod obstet quo minus adeo felici successu usus sit, ut antiquam & veram Cabbalam* seu traditionem de mente Mosis in κοσμοποιΐᾳ narranda *fuerit assecutus.* (J know nothing to the contrary, but that J have been so successefull as to have light upon the old true Cabbala indeed.) Audet *in eadem præfat.* asserere, veritatem expositionis suæ Philosophicæ satis probabiliter inde colligi, *quod talis sit, quæ sublimi & capaci ingenio Mosis vel maximè conveniat,* (such as my best become that sublime & comprehensive understanding of Moses) *phænomenis naturæ & attributis divinis evidenter respondeat,* (so plainly answerable to the Phænomena of nature & attributes of God) *textui Historico deniq; citra ullam vim aut distorsionem continuo quadret.* (continuedly agreeable without any force or distortion to the Historical text.)

VIII. Quid? quod *in Dedicat. ad* V. Cl. *D. Cudvvorth* celebrem Cantabrigiæ literarum Hebraicarum Professorem (cujus egregii adversus Judæos conatus utinam aliquando lucem viderent!) non veretur asseverare, parùm illos in negotio religionis cernere, qui non evidenter observent id summum esse quod ab Atheis intendatur, concedi videlicet, nullum alium esse spiritualem scopum in Scriptura aut Sacramentis qui ulterius tendat quàm merus Grammaticus sensus in ista, & in his, sensibilis crassa & externa administratio. E.g. Quod regenerari, verum ac realem Christianum fieri, nihil aliud sit quàm externo visibilis aqua baptismo tingi. Et quod Philosophia Mosaica Deum & naturam rerum spectans nulla alia sit quàm illa quæ seipsam sponte quasi in mera litera Mosis offert. *Quod* (pergit, uti Latinè quæ is vernaculè scripsit sonant) *si Atheus possit undiq; concessum obtinere idque modo porro ceu mantissam adjectum, quod nulla sit notitia Dei præter illam quam textus Mosis in mundo stabiliverit vel traditio teneat, non potest non cogitare, religionem hoc apparatu adeo esse inanem, exceptionibus obnoxiam & contemptibilem, ut vel jure optimo omnibus qui non planè stulti sunt liceat eam spectare ceu conceptum aliquem Melancholicum, aut fictionem callidam invectam in orbem*

ad palpum simplicioribus obtrudendum, sed & ad prabendam sapientioribus liberè post siparium ridendi eamq; deridendi materiem. Quibus concinunt quæ sub fin. *Præf. Conject.* leguntur, *quod detectio horum paradoxorum in textu Mosis religionem asserat eamq; à vilissima imputatione ignorantia in Philosophicis & cognitione rerum vindicet.*

IX. Scilicet (multorum hæc responsio erit) defensoribus istis tempus eget, nec potest litera Mosis aliter adversus Atheos defendi, ni quæcunque antiquorum Philosophorum Pythagoræ potissimum & Platonis nonnisi per conjecturas incertas enarranda mysteria & numerorum symbola textui Mosaico adaptentur & ceu faces admoveantur, ni *venerandum natura nomen allegorica dispositio pratendat* ac *Moses tanquam lucifuga bestia per anfractus seriem suam evolvat & tortuose procedat*, uti *Tertull.* loquitur *lib. advers. Valent. cap. 1. & 2.* Num in eo demum sita est narrationis Mosaicæ in tradenda creatione rerum sublimitas, quod Platonis διπλάσια καὶ τριπλάσια διαστήματα *dupla & tripla intervalla*, quorum in Timæo meminit, hinc lucem accipiant? vel quod citra ulteriorem dubitationem (imò non) hinc constet quid sibi velit solenne illud Pythagoræorum juramentum Οὐ μὰ τὸν ἁμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτύν *Non, per illum qui nobis quaternionem tradidit?* aut quid sit ἅπλωσον σεαυτὸν *ad simplicitatem teipsum redige?* Num ulla necessitas fuit, ut Mosen adversus Atheos vindicaturus, *per asperrimas Philosophia & salebrosissimas regulas stylum traheret? Quarum talis ordo est ut sine plurimis novis verbis qua prafata pace reliquorum eloquentium, specialiter* ipsi *& complatonicis* ejus *nota sunt, nugæ ipsa non valuerint expediri*, ut, quod in dissimili argumento *Sidonius* de seipso, huc accommodem ex *Epist.* ejus *ad Polemium.* Quid enim si Atheus illa ipsa Magnæ matris mysteria rideat & arbitretur se tale quid *in infantia inter somni difficultates à nutricula audisse, Lamia turres & pectines solis*? uti rursum *Tertull. l.c. cap.* 3. Prius ipsi multa persuadeantur oportet, antequam ab istis gentilium jactatis mysteriis vel minimum liceat majestatis contextui Mosaico arcessere.

X. Credat oportet vera esse omnia quæ in historiarum monumentis de *Platonis* & *Pythagora* sapientia tradantur. Non credet autem, si Platonis rempublicam lustrarit atque illic viderit mulieres nudas gymnasticam exercentes, legerit inter alias sanctiones pro-

stantem

ſtantem & hanc legem ſacerrimã *lib. 5. de Repub.* τὰς γυναῖκας ταύτας τῶν ἀνδρῶν τούτων πάντων πάσας εἶναι κοινὰς, ἰδίᾳ δὲ μηδενὶ μηδεμίαν συνοικεῖν· καὶ τοὺς παῖδας αὖ κοινοὺς, καὶ μήτε γονέα ἔκγονον εἰδέναι τὸν αὑτοῦ, μήτε παῖδα γονέα h. e. *Mulieres has horum virorum omnes omnium eſſe communes nullamque privatim habitare cum aliquo: ac rurſus communes liberos, neque patrem filium ſuum noſſe neque filium ſuum agnoſcere patrem.* Non credet, ſi *Luciani* ἀλεκτρυόνα ſeu *Gallum* legerit; ibique audiverit gravem ex Amyclis doctorem ſuaviter cum Mycillo Domino ſuo confabulantem. Imò ſi *Politiani Lamiam* vel obiter inſpexerit, ridendum potiùs dicet quàm ſuſpiciendum. Fabis eum ad necem adiget, quamprimum in ſcenam prodierit. Quid enim de iſtius ſapientia cenſeat, quem audit μετεμψύχωσιν ſeu *tranſmigrationem animarum* defendere, natum ſæpiùs ac renatum femore aureo antiquam generis nobilitatem mentientem, pertinaci ſilentio diſcipulos ſuos elinguare? Quorum pleraque etiam auctor gravis *Laër tius lib. 8.* de ipſo tradit. Huicne ſuam fidem & religionem committet, quem legit in vili meretricula ſi non corpus animum tamen aliquando proſtituiſſe, vel ſaltem id jactaſſe? quem audit id ceu grande præmium abſtinentiæ à fabarum & carnium eſu ſibi promittere, ut poſt hanc vitam in porcum forſitan vel ſi quid vilius eſt commigret? Apage ſis, inquiet, cum iſtis numerorum myſteriis quæ talem authorem habent, cum iſta inſanienti ſapientia!

XI. Credat etiam porrò neceſſum eſt, Platonem & Pythagoram ad Judæos uſque penetraſſe, à Moſe præcipua dogmata ſua hauſiſſe atque tot involucris tecta tradidiſſe poſteris, priuſquam inde liceat ignota Apoſtolorum Aquilæ myſteria exſculpere & textui Moſaico inferre. Qui autem credet? Ad conſtantem Veterum traditionem provocabitur id affirmantium. *Auguſtinus* producetur cum Ambroſio aſſerens *lib. 2. de doctr. Chriſt. cap. 28. Platonem noſtris literis per Hieremiam fuiſſe imbutum ut illa poſſet docere vel ſcribere, quæ jure laudantur*; licet quod de præceptore ejus Jeremia dixerat revocarit *Retract. lib. 2. cap. 4.* lapſum memoriæ ingenuè agnoſcens. *Lactantium* opponet, mirantem quod Pythagoras & Plato ad Judæos non acceſſerint atque arbitrantem eos *divina providentia averſos fuiſſe, ne cernere poſſent veritatem, Inſtit. lib. 4. cap. 2.* Et quamvis

satis

ſatis conſtans iſthæc ſit de Philoſophorum gentilium ad Judæos adventu traditio, uti ſummus Anglorum Polyhiſtor *Seldenus* eruditè oſtendit *lib.*1. *de Jur. Nat. & gent. cap.* 2. Atheo tamen de iſtis convincendo ea haud ſufficient. Quin ſi vel maximè ſufficerent, necdum tamen iſtis myſteriis tanquam Moſaicis fidem adhibiturus eſſet.

XII. Nam & hoc inſuper ut credat neceſſarium eſt, nihil à Pythagora vel Platone quoad iſta myſteria dictum, ſcriptum aut factitatum fuiſſe, quin ex Judaica diſciplina provenerit, ſi eorum *Theologiam* φυσικὴν ſeu *naturalem* (de qua *Auguſtin. lib.* 6. *de civ. Dei cap.* 5. ex Varrone agit) huc liceat indiſcriminatim rapere. Quicquid à Barbaris quibuſcunque, Chaldæis aut Ægyptiis hauſerint, id omne vel idem cum iſta traditione Judaica fuiſſe, vel Judæorum myſteriis poſtpoſitum. Nihil ab iſtis de ſuo admixtum vel intellectum minus benè. Nihil etiam in Judæorum antiquis ſcriptis legi, quod non veram traditionem Moſaicam ſapiat, ut ex ipſorum mente tutò exponenda ſit Moſis ſententia. Quæ μεγάλα αἰτήματα multa indigent probatione, imò nulla ratione poſſunt probari. Iſtud denique ſupponi debet ceu ab Atheo tali creditum, nihil majeſtatis in contextu Moſis apparere, adeoque explodendum pedeſtri ſermone humi repentem, ni ſub verborum involucris hiſtoriam creationis ſimpliciter narrans magna numerorum myſteria abſcondat & iisdem verbis triplicem ſenſum fundat, aliter Philoſophis, aliter vulgo loquens.

XIII. Atheum his opinionibus præditum atque ob tales cauſas majeſtatem divinarum literarum elevantem haud facilè inveneris, niſi inter iſtos *homines doctos quos pudet ex diſcipulis Platonis fieri diſcipulos Chriſti*, quorum idē *Auguſtinus* meminit *lib.* 10 *de C. D. cap.* 29. Niſi inter iſtos Philoſophos, qui Platoni & veterum Philoſophiæ ſymbolicæ addictiores, Moſen parum divinè, parum ſapienter, cenſent origines rerum explicuiſſe, ſi non & adamata ſibi horum myſteria (quod in iſtis fortè ætatem contriverint atque ſe aliquid cernere putent) ibidem legantur.

XIV. At quotuſquiſque philoſophorum iſthæc curat vel eouſque deperit, ut ni etiam in S. Literis extent, vel eaſdem, vel religionem, callido commento aut Melancholicæ phantaſiæ ideo adſcribendam ſuſpicetur? Parum cauta hæc locutio eſt, ſub atheorum nomine ali-

quid

quid domeſticæ infirmitatis prodens. Num enim haud alia ratio ſuppetit, iſtorum Philoſophorum non tam Atheiſmum quàm ex nimis ſtudioſa veterum lectione contractum faſtidium & nauſeantem ſtomachum curandi, ni adeo μέγα αἴτημα iſtis largiamur, eſſe iſta quæ credunt ſacra myſteria & poſſe etiam in Moſaico contextu oſtendi, atque tum conemur eadem qualicunque ratione narrationi Moſaicæ inferre?

XV. Medicorum quidem filiis nonnunquam iſtud probatur in curanda Melancholia remedium, ut per colluſionem cum hominibus tali morbo laborantibus agatur. Qua ratione is qui ſe mortuũ credens & ideò cibis abſtinens parùm à vera morte aberat, ab aliis ſe ſe itidem mortuos diſſimulato habitu fingentibus ad cibum ſumendum inductus & detecto errore ab errore liberatus eſt. Sed ut Philoſophorum quorundam & hominum doctorum ſcabrities (quam ex nimio antiquitatis ſtudio & improvido amplexu Helenarum iſtarum peregrinarum, quarum nec raſum caput nec ungues reſecti, cõtraxerant) hâc methodo & lege curetur, nequaquam videtur committendum. Quid enim hoc niſi lumen à tenebris fœnerari? Quaſi S. Literis nequeat ſua conſtare vel defendi etiam adverſus Atheos inconcuſſa authoritas, niſi ad illorum arbitrium ſe componat, iſtum induat habitum qui eorundem corrupto judicio optimus videatur. Atqui divina ſapientia iſtam μωροσοφίαν gentilium reſpuit, vetat σεσοφισμένοις μύθοις ἐξακολουθεῖν & vel maximè artificioſas fabulas ſectari.

XVI. Alius longe iſtorum qui de veritate religionis Chriſtianæ ſcripſerunt ſcopus eſt. Quando gentilium aut Judæorum ſcripta citant & veſtigia quædam myſterii trinitatis, creationis, diluvii, aut hiſtoriæ & rituum ſacrorum, fundamentorum etiam Chriſtianiſmi in iſtis legunt, id fit ne penitus ignota fuiſſe credantur, & ut pateat, ſi quid in gentilium ſcriptis antiqui aut veri, id ex hoc fonte S. Literarum hauſtum atque variis modis depravatum fuiſſe. Ita olim poſt Apoſtolica tempora *Juſtinus*, *Tertullianus*, *Arnobius*, *Euſebius*, aliique veterum adverſus gentes depugnarunt, licet nonnunquam ſcriptis ſuppoſiticiis præſertim quoad Sybillina oracula decepti. Ita recentiori ævo Viri Jlluſtres *Mornæus* & *Grotius*, atque duo ſtupendæ eruditionis lumina *Voſſius* Pater & *Bochartus*, ille in ſuis *de Origine*

Idololatria libris, hic in utraq; parte Geographiæ ſacræ *Phaleg* & *Chanaan* atque nupero *Hierozoico* infinitæ lectionis ac eruditionis opere, haud aliam viam inſtiterunt vel alium ſcopum ſecuti ſunt. Etiam *Galatinus* Raymundi compilator in ſuis *Arcanis Catholicæ veritatis* & *Reuchlinus* in ſuis libris de *Cabbala* & *de Verbo mirifico*, ſic contra Judæos egerunt, non apud iſtos quærentes dogmata quæ textui ſacro inferrent, ſed teſtimonia quibus vel ad hominem uterentur vel res fidei illuſtrarent, licet in *Capnione* forſitan aliquid etiã iſtius ſtomachi queat obſervari, qui th. 14. in Philoſophis quibuſdam notatus fuit. Aliter longè haud pridem doctiſſimus *Stillingfleet* itidem Anglus hiſtoriam creationis Moſaicam imò totum S. Scripturæ contextum cenſuit adverſus Atheos atque profanæ literaturæ nimiùm deditos aſſerendum in erudito opere *Originum Sacrarum*, quo quicquid facit ad S. Codicem ab iſtorum exceptionibus vindicandum inſigniter complexus eſt.

XVII. Non ergò hæc probanda vel tuta methodus, divinitatem hiſtoriæ Moſaicæ contra homines Philoſophos probandi ut quævis iſtorum deliria promiſcuè adaptemus, nec Moſes dicatur ſapiens ni cum Platone aut Pythagora faciat; ni in verbis ejus latere credatur quicquid Judæorum traditio de *Opere Bereſchith* ſeu *Creationis hiſtoria* tenet: ſed ad literã Moſis iſta ceu lapidẽ Lydium potius exigenda ſunt. Quicquid iſti convenit approbandum, quicquid ibi tacetur vel ex vi & nativa proprietate ac cõſtructione verborũ non ſequitur, id nequaquam textui violenter inferendum, ſed vel ſuo loco relinquendum cum fide dubia nitatur, vel etiam, ſi cum analogia fidei pugnet penitus explodendum eſt.

XVIII. Quid verò ſi conſtans traditio Judæorum, Gentilium qui à Judæis ſua hauſerunt, & antiquorum Patrum conſenſus hic conſpirent? ſi iſta quæ in Philoſophorum ſcriptis & myſteriis leguntur, Judæorum Cabbala πατροπαράδοτος & quorundam Veterum aſſenſus firmet, Moſis ſapientia hinc eluceat, conveniant iſta cum phænomenis & attributis divinis, cum textu denique hiſtorico citra ullam vim aut diſtorſionem? Tum demum vicit quisquis interpretationem novam aggreditur, ſi & ultima adſit conditio. Sin minus, vera quidem eſſe poteſt ſententia ſi non repugnet uſquam aliàs textui ſacro; ſed

alibi

alibi ejus fundamentum quæri debet. Neque enim ubi quid dici potuisset commodè ibi id semper dicitur in S. Literis, & quasi sub litera lateat, anfractibus allegoricis quærendum est. Sæpè curiositati humanæ frenum injicitur, ne putet sibi ad quævis adyta penetrare integrum esse. Ut divinum αὐτὸς ἔφα agnoscat, nec suis ratiocinationibus tantum credat ac propter illas divinæ revelationi fidem adhibeat.

XIX. Ponamus vera esse quæ à Viro doctissimo in Cabbala sua Philosophica traduntur; nullum dubium esse quin Philosophi isti ita senserint, à Judæis eadem hauserint æquè ac Veterum nonnulli ab utrisque, quin quadrent sapientiæ Mosis, phænomenis naturæ & attributis divinis. Annon ergo saltem sensus iste quatenus ex primo capite Geneseos hauritur, vel eidem infertur potius, in authoritatem traditionis Judaicæ & consentientem cum ea gentilium quorundam sapientiam vel veterum quorundam opinionem penitus refunditur? Nullam allegoriæ fidem merentur nisi quam ab authoribus suis mutuantur. Hinc Judæorum magistri non tacent doctorum suorum antiquorum nomina per quos traditio propagata sit. Quotiescunque דרש seu sensus quis allegoricus commemoratur, toties & hæ aut similes formulæ occurrunt: *Dixit Raf, dixit Rabbi Huna, dixit Rabbi Simon, dixit Rabbi Abbu* &c. uti in Talmude & libris *Rabbos* passim videre est. Qui licet dicta Scripturæ in mentem suam detorquere soleant, tamen authoritas expositionum ab istorum nominibus depēdet. Quin ipsimet Judæi differentiā hic constituunt, uti ex *Clavi Talmudica Cl. L'Empereur* docemur. Idem autem de novis istis Metaphysicis speculationibus sentiendum. In Pythagoræ, Platonis, Philonis, Origenis, Augustini & similium authoritatem omnis istarum veritas resolvitur, cùm à verbis & litera procul abeant & meris conjecturis nitantur, quarum haud alia quàm asserentium authoritas est.

XX. Res ipsa loquetur, ubi mystica ista interpretatio erit producta, fueritque deinceps expensū quicquid author ad ejus defensionē congessit. Triplicem ille quidem in tria priora capita Geneseos Cabbalam dedit, ut supra dictum, discrepantem multis à se invicem, cum e. g. *spiritus Dei* incūbens aquis, literaliter ipsi sit *ventus vehemens*, Philosophicè *spiritus Dei*, & moraliter *vita animalis* seu *carnalis* dominatū in passionibus exercens quæ veluti aquæ cum impetu feruntur. Istius etiam infirmitas ac τερατολογία non posset melius quam ex collatio-

ne trium iſtarum expoſitionū ad oculū demonſtrari. Limitum tamē præſcriptorum memoria facit, ut ad ſolum caput primum & quidem ejus Cabbaliſticam explicationem Philoſophicam tantùm hæc & ſecuturæ diſſertationes ſint reſtringendæ. Generale fundamentum quod eidem ab authoritate ſubſternitur quàm infirmum ſit ex ſuperioribus arbitror liquere, magisq; conſpicuum fiet, ubi ſuo loco reſponſum fuerit ad rationem quam V. Cl. eidem ſtatuminandæ in *Præfat. Defenſionis* protulit. Num in ipſa verò interpretatione plus momenti reperiatur ex collatione rationum patebit, præcipuè ſi cum textu Hiſtorico conferatur, cui eandem citra vim aut diſtorſionem convenire ſupra ab authore aſſertum fuit. Fiet autem hæc collatio indirectè, neque ulla textus explicatio quàm Philologica attendetur. Philoſophorum veterum opiniones examinabuntur & num tantum lucis ab iſtis ſperandum ſit haud in obſcuro exinde latebit.

XXI. Conſultum verò & non abs re videtur, quò de mente authoris eo melius conſtet, integram ejus interpretationē Philoſophicā (ut vocat) quam per paraphraſin textui Moſaico adaptavit uno obtutu oculis ſubjicere, ut quivis prudens lector mente præcipiat, quorſum iſta tendant & quid de talibus commentariis ſit ſentiendum. Ea autem (numerorum notis verſiculos capitis primi Geneſeos diſtinguentibus) ex Anglico idiomate de verbo ad verbum ferè traducta ita habet.

Cabbala Philoſophica in Cap. I. Geneſeos.

1. Cum ſcopus noſter ſit magis conſpicuam partem externæ creationis exponere, priuſquam ad genealogias & ſucceſſiones humani generis enarrandas accedamus, duo notabilia objecta ſe intellectui noſtro ſiſtunt quæ prius advertamus oportet, cùm in ſequentia univerſaliter influant. Ea verò ſymbolicè

bolicè enumero, unum nomine *Cœli* & *Lucis*, (eandem enim rem his duobus terminis designo) alterum nomine *terræ*. *Cœli* aut *lucis* nomine intelligenda est *tota cõprehensio spirituum intellectualium*, animarum hominis & belluarum ac seminalium formarum omnium rerum, quam, si placet, *Mũdum vitalem* licet vocare. *Terræ* autẽ nomine intelligenda est *potentialitas* aut *capabilitas existentiæ externæ creationis*: quæ possibilitas menti nostræ exhibetur veluti resultans ex omnipotentia divina, sine qua nihil potuisset fieri atque revera umbra quædam ejus & obscurissima delineatio est. Itaque *Trinunus* Deus æterna sua sapientia primùm hoc symbolicum *Cœlum terramq;* creavit.

2. Erat autem hæc *terra* nil nisi *solitudo* & *inane*, atq; profunda quædam ac inexhausta capacitas, ut esset quicquid Deo bonum videretur exinde facere, tale nẽpe quod nullam quo minus fieret contradictionẽ implicaret. Cùm itaq; talis possibilitas esset creãdi res secũdùm modos singulares ac varios, ni-

hil dum determinatũ erat, ſed hæc vaſta capabilitas rerũ inſtabilis erat, fluida, & ſponte ſua ad inſtar aquæ indeterminabilis. At *Spiritus Dei*, qui erat *vehiculum æternæ ſapientiæ & ſupereſſentialis bonitatis*, poſtquam aliquantiſper celeri & prævia deliberatione cõſilii & diſcurſus rationis verè divinæ, talis nempe quæ uno ictu omnia penetrat & diſcernit quid factu optimum ſit, volitâſſet (hovered *Anglicè, vox et volitationem avium in aëre, & agitationem natantium in aquis denotans)* ſupra omnes capacitates hujus fluidæ poſſibilitatis, illico iſti quod perfectiſſimum & exactiſſimum erat inſtitit.

3. Ideo tota Deitas *verbo interno*, quod nihil aliud eſt quàm *ſapientia* & *potentia*, armato *voluntate actuali*, majori facilitate quã nos ulla *notione* aut *idea* aſſequi valemus, exhibuit realiter proprio aſpectui totam creationem ſpiritualium ſubſtantiarum, cujusmodi angeli ſunt in ſua intrinſeca natura, animæ hominis & cæterorum Animalium & ſeminales formæ omniũ rerũ, ſic ut omnes

hæ

hæ quotquot aliquando erant futuræ realiter & actualiter existerent citra dependentiam à materia corporea.

4. Et Deus approbabat sibiq; cõplacebat in his omnibus tanquã bonis Sed interim licet in intentione esset aliqua ordinatio *fluidæ caliginis* aut obscuræ *possibilitatis* externæ creationis, tamen etiamnum obscura saltẽ remanebat possibilitas. Atque notabilis distinctio erat inter *actualem spiritualem creationem* & *obscuram possibilitatem* mundi materialis s. externi.

5. Eousque ut altera commodè posset vocari *dies* & altera *nox*: quoniam nox quascunq; distinctas figuras & colores rerum inducere ac obliterare solet, dies verò easdem ordine ac clarè videntibus exhibet. Sic itaq; creatura immaterialis perfectè finita erat, existens *thesaurus inexhaustus lucis & formæ*, ad adornationẽ & consummationẽ mundi materialis, ad suppeditandum *principium matutinum* seu *activum* cuicunq; *passivo* in ordine futuræ creationis corporeæ. Sed in

hoc

hoc opere primæ diei (prout illud vocabimus) *mane* & *vespera* purè *Metaphysicè* spectantur. Nam activum & passivum principium hic non sunt duæ distinctæ substãtiæ, quarum una *materialis* sit, altera *spiritualis*. Sed passivum principium est *materia* merè *Metaphysica* & reipsa nulla realis aut actualis entitas; & ut modò dictum, totaliter distincta est à luce aut spirituali substantia, nõ pertinens ad illam sed ad mundum externũ, cujus umbratilis possibilitas ipsa est. Verùm sint ut sint, hoc passivum & activum principium primæ diei opus est, cum *monas* seu *unitas* adeo aptum immaterialis naturæ symbolum sit.

6. Deus autem cogitabat iterum atque cogitationi suæ voluntate ac potentia sua vigorem addens creabat immensam partem realis & corporeæ materiæ, substantiam scilicet quæ concipienda est ceu interjacens inter prædictam *fluidam possibilitatem naturalium rerum* & regionem *seminaliũ formarum*; non quasi hæ res localiter distinctæ fuerint, sed convenienter ordini magis intellectuali.

7. Et

7. Et cogitatio Dei armata ejus voluntate omnipotenti effectum sortiebatur atque hæc in immensũ diffusa materia fiebat. Sed non erat admodum pronus ut diceret id esse bonum, aut sibi ipsi multum in ea placeret, quoniam prævidebat quantum damni oberrantes animæ, ni admodum cautæ forent, sibi ipsis possent inferre, nimium profundè se in eam demergendo. Præterea parum operæ pretium erat donec plus cultus in id esset collatum & sapientia ejus idem commodis usibus adaptasset, cùm etiamnum saltem infinitus oceanus rudis & invisibilis materiæ esset.

8. Ideo hæc materia è vestigio actuabatur & agitabatur spiritu quodam universali, parte tamen *mundi vitalis*, unde admodum subtilis ac *ætherea* reddebatur; sic ut hæc *materia* jure vocaretur *cœlum*. Unio autem passivi & activi principii in creatione hujus cœli materialis, *opus* est secundæ diei atq; *binarius* naturam ejus denotat.

9. Declarabo similiter vobis quomodo

Deus terram realiter materialem ordinet, cum primũ facta est, ut fiat amæna & delectabilis tam hominibus quàm bestiis. Quod enim ipsam terræ productionem spectat ea ad sequentẽ diem referenda est. Nam stellæ & planetæ ad illum numerum pertinent, & prout primarius planeta respectu reflexionis lucis (*vel refractionis radiorum*) jure vocatur planeta, sic alio respectu, quod nempe habitabilis sit, jure terra appellatur. Has terras igitur Deus tali ratione ordinat, ut nec careant aquis quæ ipsis incumbant, nec tegantur iisdem penitus, etiamsi undique fluido aëre cingantur.

10. Facit autem id partim terram aridam, partim mare, rivos & scatebras, quorum cõmoditas & convenientia à quolibet sensu obvio concipi potest.

11. Adornat solum similiter gramine herbis & floribus. Sapienter quoque eadem instruxit semine quod proferunt, ut perpetua sint hujusmodi utilia commoda in superficie terræ.

12 Nam revera hæ res admodũ cõmodæ ac necessariæ tam hominibus quã bestiis sũt.

13. Ideo Deus materiam terræ ita præparabat, ut esset *vitalis* quædam *congruentia* partiũ ejus, in singularibus speciebus seminalium formarum arborum, herbarum & florum selectissimi generis; & ita corpus terræ attrahebat distincta quædam principia *vitæ plantalis*, à *mundo vitali* qui ubiq; prçsto est; Passivum verò & activum principium ita conjunctum tertiæ diei opus constituit, atque ejus naturam *ternarius* denotat.

14. *Ternarius* assignaverat operi adornationem terræ arboribus, floribus & herbis post distinctionem soli & sali factam: prout *Quinarius* eidem adjunxerat repletionem terræ piscibus & avibus; *Senarius* verò, hominibus & bestiis constantem. Sed hæc *quarta dies* adornationẽ corporis totius mundi comprehendit, videlicet vastam istam & immensam materiam *ætheream*, quæ *cœlum fluidum* vocatur, una cum infinito numero diversi generis luminarium, quæ divina sapi-

entia & potentia, unione aptorum & activorum principiorũ ex *mundo vitali* desumtorũ ex hac *æthera* materia formabat, quorum adeo usus in natura obvius est, quod signis prognosticis & tempestatibus & diebus & annis inserviant.

15. Tum etiã ut lumen suppeditent omnibus inhabitantibus orbem; ut planetæ recipiant lumen à fontibus lucis suæ & lumen invicem reflectant.

16. Sunt autem duæ species horum luminarium, quæ omnes ubique mundi incolæ aspectum externum consulentes ceu magna tenentur agnoscere ex illorum stationibus pulcherrimis. Dominium majoris hujus generis luminarium de die conspicuũ est, minoris dominium, noctu. Prius communiter *Solem* vocamus, alterum *Lunam*; quæ *Luna* revera Planeta est & opaca, sed lumen abũdanter versus spectantiũ oculos reflectit & tamen secundarius saltem seu minoris generis planeta est. At primarios & eminentiores Planetas itidem formabat, cujusmodi
est

est hæc terra quam vivendo terimus.

17. Et collocabat Deus omnes hasce luminarium species in tenui & liquido cœlo, quò radios suos invicem possent reflectere & inhabitantibus orbem lucere.

18. Et ut pulchritudo ac splendor eorũ conspicuus esset ista spectantibus sive interdiu sive noctu. Quod præcipuè intelligendũ est de solibus, qui etiam locum stellarũ supplent insigni distantia sed quorũ præcipuũ officium est vicissitudines diei & noctis efficere. Cum itaq; universus obscurus *Æther* hac ratione egregio & glorioso apparatu diversi generis luminariũ instructus esset, Deus id ceu bonum approbavit.

19. Et unio Passivi & Activi principii quartæ diei opus erat atque numerus naturam ejus denotat.

20 Postquam itaq; audivistis de terra aliqua florida & Mari intra limites coacto ac luminaribus quæ lumine suo aërem & aquã permearent & gratificarentur oculis omniũ creaturarum viventium, cujus beneficio se

mutuò cernerent ac alimentum victumque ſuum quærere poſſent: haud intempeſtivè exſpectari à vobis poteſt mentio animalium diverſorũ, quæ cũ elementis ſuis conveniũt. Ideo Deus *verbo ſuo interno & potentia* præparabat materiã in aquis & juxta aquas diverſis *vitalibus congruitatibus*, ſic ut attraheret ex mundo vitali ſingulares animas, quæ cum actuarent partes materiæ, cauſabantur magnam multitudinem piſcium in aquis natantium & avium ſupra terram in libero aëre volitantium.

21. Et juxta hunc modum pariter magnos cetos creabat ac minores piſcium ſpecies, & hæc omnia tanquam bona approbabat.

22. Et benedictio *verbi ejus interni* ſeu *ſapientiæ* erat ſuper iſtôs ut multiplicarentur. Prout enim materia præparata erat, ſic *potentia plaſtica* animarum quæ deſcendunt ex mũdo vitali fideliter & effectivè operabatur iſtas ſapientes conjũcturas *maris* & *fœminæ*, ex quo ſemel debito modo unitæ fuiſſent cũ materia, ſic ut his mediis piſces implerent

aquas

æquas in maribus & aves multiplicarentur super terra.

23. Unio autem passivi & activi principii quintæ diei opus erat & *quinarius* naturam ejus denotat.

24. Et Deus ulterius in creatione creaturarum viventium persistebat ac desponsando novas animas ex *mundo vitali* magis mediterraneis partibus materiæ, reptilia terrestria, armenta & bestias agri creabat.

25. Et cùm ea sic fecisset ceu bona approbavit.

26. Tum Deus ad propriam naturam reflectens & seipsum spectans, consultans cũ *superessentiali bonitate, æterno intellectu & inextinguibili amoris flamma spiritus sui omnipotẽtis* concludebat producere altioris lõgè conditionis creaturam viventem, quàm hactenus in mundum introducta erat. Formabat itaq; hominem in sua propria imagine, secundùm propriam similitudinem suam. Nam postquam pręparasset materiam aptã adeo nobili hospiti qualis est anima humana,

mundus

mundus vitalis dimittere cogebatur id quod materia ritè præparata, adeò justè requirebat. Sic homo in scenam orbis prodibat Dominus omnium creaturarum viventium. Justum enim erat, ut is qui imaginē invisibilis Dei gerebat supremus monarcha hujus visibilis orbis esset. Ecquid magis simile Deo quàm anima humana, quæ adeo libera adeo rationalis & adeo intellectualis est? Nec eo minus similis est ipsi ex quo corpori terreno unitus est, anima ejus aut spiritu possidente atque pervadente compendiosam collectionem omnis generis materiæ corporeæ eamque dirigente, intellectui eâ libertate relicta ut possit etiam de aliis cogitare, æque ac Deus vivificat & actuat mundum totum, ipse in universum liber ad seipsum contemplandum. Ideo Deus homini dominium largiebatur in volucres aëris, pisces maris & bestias terræ. Convenit enim rationi ut deterior meliori inserviat.

27. Sic Deus creabat hominem in sua propria imagine, ut constaret anima intellectuali & corpore terreno quod per illam actuabatur. Unde genus humanum masculinum & fœmininum effectum est, prout etiam cætera animalia terrestria.

28. Et benedictio divinæ sapientiæ ad propagationem speciei manifesta erat in conjunctione partium quæ eum in usum formatæ fuerant. Cùm ergo multitudine crescerent, dominium in terram exercebant atque bestias agri potentia & calliditate sua sub jugum mittebant, seque pascebant piscibus & avibus eoque quod præterea placebat ac ipsorum appetitui faciebat satis. Omnia enim jure creationis illorum potestati erant permissa.

29. Et ne quid illorum delectationi deesset, ecce divina providentia eorundem palato omnes pretiosas & gratas herbas in usum acetariorum præparavit ipsisque epulas ex delicatissimis fructibus arborum frugiferarum instruxit.

30. Quod verò gramen magis obvium & viliores herbarum species concernit, destinata sunt vilioris & inferioris conditionis creaturis. Ideo homini sua seligere iisdemque uti liberum est.

31. Deus ergo considerans rem quamlibet quam fecerat, eam ceu optimam approbavit, atque unio passivi & activi principii sextæ diei opus erat: & *Senarius* naturam ejus denotat.

DISPUTATIO SECUNDA
Ad
CREATIONIS
HISTORIAM MOSAICAM.

In qua variæ de hac Cabbala Philoſophica ſententiæ proponuntur & cauſa cur aliquod examen mereatur redditur. Nupera Anonymi Exercitatio paradoxa de Philoſophia Scripturarum Interprete refellitur & ſenſus literalis S. Codicis aſſeritur. Multa quæ in Dedicatione & Præfatione ipſius Conjecturæ Cabbaliſticæ ac in Præfatione & Introductione Defenſionis, ipsâ etiã Defenſione, in genere ad hanc expoſitionem vindicandam à D. Moro prolata ſunt expẽduntur. Subjuncta denique digreſſio de Alphabeti verè naturalis Hebraici delineatione facta à F. M. B. ab Helmont Quam nec in ſe veram aut probabilem eſſe, nec ad vivum illum Scripturæ intellectum (quem ſibi fingit) eruendum quicquam facere, non una ratione probatur.

D Nullus

Nullus dubito quin perfecta Expositione Cabbalistica quæ superiori Disputatione proposita est, ut in re nova fieri solet, diversa futura sint diversorum judicia. Erunt qui istam melancholici humoris fictionibus adscribent penitus, atque plus in ea dicent phantasiæ quam defæcati judicii reperiri. Censebunt Authorem non admodū fuisse cautū, ne cum oberrantibus animabus sibi ipsi damnum inferret nimium profundè se in hanc materiam demergendo. Præfocari propemodum lectorem istis Platonicis Ideis, minus assuetum hujusmodi *μετεωρολογίαις*, quæ nusquam nisi inter Nebulas Aristophanis natæ videantur. Metaphysicas istas subtilitates admodum tota facie Doctorem subtilem referre atque videri originem ex Scotia traxisse, cùm nulla re magis egere videantur quam ut in bono lumine collocentur. Erunt alii qui credent se Apollinem quendam Loxiam audire voce obliqua oracula fundentem, & suum mirabuntur stuporem, quòd post tot lustra in S. Literarum studio exacta nunquam tamen vel per somnium adeo altè potuerint in mentem divini Mosis penetrare ideoque acclamabunt: *ἡ γλῶττα τῷ κήρυκι! Lingua praconi detur!* Nec deerunt qui in Platonicis mysteriis & gentilium Theologia non omnino hospites & sapientiam Platonis magnopere laudantes, tamen arbitrabuntur non debuisse D. Morum tanta istorū veneratione duci, ut tanquā genuina Mosaicæ Philosophiæ *ἀποσπάσματα* promiscuè & citra delectum nullâ ferè textus habita ratione aggereret atque verborum contextum iisdem obliteraret. Plerorumq; forsitan huc verget calculus, vix talia otiosorum commenta operosum examen mereri. Spernenda potius esse & autori condolendum quod tempus meditationibus frivolis perdiderit. Nam expendendis ordine immorari, idem propemodum fore quod Neroniana voce morari. Quos ego omnes facilè patior suo sensu abundare, nec fateor nec dicta refello.

II. Saltem qui omnium judicabunt moderatissimè ita mecum censebunt, meliùs longè facturum fuisse Doctissimum Morum, si à S. Literis tali modo illustrandis manum abstinuisset ac istud otium literarium, quo abundare solent Collegiorum in Anglia Socii, (quorum complures Viri doctissimi & diffusæ eruditionis) aliorsum vertisset.

tiffet. Potuisse, si adeo volupe erat doctum trivisse Platonem, ejus Timæum cum historia Mosaica conferre, mentem Platonis erude-rare, ænigmata ejus evolvere, ea quæ Latinus Plato Marsilius Ficinus libris 18. Theologiæ Platonicæ complexus fuerat distinctius & clarius enarrare. Sic laudem & gratiam reportaturum fuisse ab omnibus an-tiquitatis studiosis; qui experti credunt *Augustino lib. 8. de C. D. cap. 4.* scribenti, quod *ob notissimum morem dissimulandæ scientiæ vel opinio-nis* factum sit, *ut Platonis de rebus magnis sententiæ non facilè perspici possint.* Istam συμβίβασιν forsan aliquid lucis allaturam fuisse si non textui Mosis saltem Veterum sententiis dijudicandis. Jam verò au-dax nimis & temerarium videri, pro Mose Hebræo ita Mosen Atti-cum obtrudere, quasi per omnia inter ipsos conveniat, nec iste pos-sit absque hoc interprete intelligi. Nam, etsi ita est tamen ista te-meritas non scientiæ sed audaciæ est, nec visus sed typhus eam pepe-rit, ex *Augustino Confess. lib. 12. c. 25.* hic locum obtinere. Habere & paraphrasin suas leges & limites præscriptos, nec esse cum exegesi confundendam. Aliud esse farraginem opinionum de rebus natura-libus congerere. Aliud verò, vestigia textus solicitè premendo divi-tias sensus verborum circumscriptione colligere.

III. Quod judicium quoniam aliis nimis molle forsitan & minus pro indignitate rei grave videbitur, ostendendum est quadan-tenus, cur ista non explosione tantum spernenda sed justo examine perstringenda videantur. Magnum huic Cabbalæ præsidium ab au-thoritate quæritur. Pythagoras & Plato potissimùm inter Veteres Philosophos magna nomina citantur, quorum hic pridem præ cæ-teris tanquam proximè ad veritatem accedens habitus. Constat de illius ad Judæos adventu. Imò *Augustinus* penè assentitur illis qui credunt hunc *Platonem sacrorum librorum non expertem fuisse l. 8. de C. D. cap. 11.* Favet huic expositioni tota Cabbalistarum natio, cum Philone Origenes, Basilius, idem Augustinus & quotquot allegorias in Scripturis interpretandis sequuntur. Qui sensum in his multiplicē agnoscunt, nec multum de litera putant laborandū, modò ipsa inter-pretatio nullam falsam sententiam in se contineat; admittent hanc paraphrasin facilè, vel saltem neutiquam eo nomine rejicient quod à verborum contextu tantopere discedat. Ipsa igitur dogmata insuper

examen Philosophicum merebuntur. Et cum de litera Mosis idem cum quibusdam magni nominis Ecclesiæ Doctoribus sentiat, cum istis æquè controversia intercedet, & restabit tamen ut de ipsis rebus eum Authore contendamus. Pridem enim, qui jam sæpius allegatus est, *Augustinus Confess. lib.* 12. *cap.* 17. & seqq. usque ad finem libri veritatem sensus à veritate rerum suspendit, eousque ut scripserit *cap.* 18. *Dum quisque conatur id sentire in Scripturis sanctis, quod in eis sensit ille qui scripsit: quid mali est si hoc sentiat, quod tu lux omnium veridicarum mentium ostendis verum esse: etiamsi hoc non sensit ille quem legit, cum & ille verum nec tamen hoc senserit?* Quod cum etiam D. Morus fecerit, sic tamen ut textum ubi fieri potuit noluerit neglectum, cùm etiam multa ad Defensionē hujus expositionis suæ congesserit, contemtu solo istū refellēti id exspectandum est, ut quæ non intellexerit sprevisse dicatur.

IV. Stat ergo sententia, ea quæ ad defensionem horum conatuum protulit, tam in Præfatione gemina quàm Introductione ad Defensionem, sic examinare, ut nihil quod alicujus momenti sit & pondus habere videatur intactum maneat. Est animus etiam, postquam generalia fuerint expedita, ad ipsam Cabbalam Philosophicam ejusque Defensionē tum gradum promovere excutiendam. Non erit nihili vel de nihilo hæc disquisitio. Ad illustrationem Historiæ creationis dirigentur omnia. Quæ sanior Philosophia suggeret, sic opponentur contrariis hypothesibus, ut unica veritatis ratio habeatur. Huic uni sacramentum diximus omnes. In quam ut à Spiritu veritatis dirigamur, votorum in hoc examine summa est!

V. Quando universam hujus expositionis Cabbalisticæ faciem specto, hypotheses plerasque & rationes quibus eandem author superstruxit considero: venit in mentem nuperi Exercitatoris Paradoxi partus infaustus, qui nobis *Philosophiam Scripturæ Interpretem* edidit. Quod enim hic rationibus adstruere conatus est; istic jam comprobatum extabat exemplo, eo saltem discrimine, quod illic Philosophiæ juncta traditio, hic sola Philosophia utramque paginam faceret. Voluit Exercitator Paradoxus *Scripturam obscuram & ambiguā esse* cap. 4. §. 1. Pari ratione D. Morus *textum vel literam Mosis incertam & lubricam esse* scripsit atque *scriptis ænigmaticis* accensuit *Defens. pag.* 109. Ille plures sensus supponit etiam diversos & discrepantes

eidem

eidem textui quadrare *cap.* 3. §. 28. & *cap.* 4. §. 8. Hic triplici suæ Cabbala adeo dissimili idem se sensisse reipsa ostendit, & non pauca eam in rem pro sensu mystico & allegorico protulit in *Introduct. ad Defens.* quæ infra discutienda venient. Ille ut Philosophiam interpretem faciat quascunque alicujus loci veritates veros sensus esse asserit *cap.* 4. §. 6. & 8. Idem hic propemodum statuit, unicè solicitus ut probet vera esse illa dogmata quæ in Cabbala ejus leguntur, quamvis non ratione magis quàm traditione id probet, ut evincat omnes istos sensus Mosen pro sapientia sua intendisse. Quisquis igitur Exercitatorem oppugnat non minus huic Conjecturæ Cabbalisticæ dicam scribit. Istius enim munitiones destruere est hujus fundamenta evertere. Si istius paradoxi detegatur absurditas, quod veritatem quamcunque aliquo loco Scripturæ occurrentem verum hujus sensum illico esse contendit, Paradoxographi pariter & Cabbalistæ conatus ruet alto de culmine tecti. Id verò ita ostendere laborabo, ut simul planum faciam omnes absurditatis numeros Exercitatorem implevisse, qui isthac methodo sua acres de Scripturarum sensu disceptationes tolli posse somniavit.

VI. Philosophiæ suas in Scripturis interpretandis partes ancillantes nequaquam imus ereptum, ubi de ejusmodi rebus agitur quæ sub rationis censum commodè revocantur. Quam dum *Cap.* 4. §. 4. aliis interpretandi instrumentis conjunxit Exercitator anonymus, eo ipso se nihil novi scripsisse fassus est. Dum verò nihilominus ad instar Jsmaelis sese omnibus aliis opponere & cornicum oculos configere voluit, id certè visus est agere, ut, præter captatam in paradoxi defensione ingenii laudem, scrupulum injiceret infirmioribus, nullum inveniri posse Scripturarum interpretem certum, atque sic revera stabiliret (quicquid etiam dissimulet) istam Scepticorum sectã, quam Theologis Dogmaticis, in quos invehitur, opponit. Cui addicti, *si non omnia sua quamplurima tamen religionem Christianam concernentia, tantum verisimiliter è Scripturis petita atque deducta esse, ingenuè fateantur, adeoque illa tanquam incerta & dubia, meliori aliorum saniorique subjiciant judicio, ac sub correctione, ut ajunt, loquentes, quasi ab illis emendanda proponant,* uti in Prologo præfatur.

VII. Non enim de sola modestia in proponendis dogmatis ex

Scriptura haustis adversus αὐθάδεις & præfidentia ingenia loquitur, qui etiam ubi soli ambulant per ignes suppositos cineri doloso, tamen illud consideratissimum verbum Romanæ consuetudinis ARBITROR rejiciunt & veluti ex tripode decernunt: sed ipsos illos qui talia quæcunq; proponunt nuda veri similitudine vult niti adeoque in plerisq; Scripturarum sensibus incertos & pendulos hærere. Quò & ista ejus hypothesis spectat, cui tota moles incumbit: *Omnes alicujus loci veritates quæ lectori occurrunt aut occurrere possunt, etiam esse veros sensus.* Cap. 4. §. 8. Quam dum gemino argumento, ab omniscientia pariter & veracitate divina desumto stabilire satagit, omne tollit inter verum & falsum sensum discrimen, & lectorem Scripturarum in tanta opinionum mole, de vero ejus sensu relinquit incertissimùm, cum omnes ceu veras admittere contrarietas & contradictio illarum haud permittat, veras tamen credere teneatur si hujus Exercitatoris sententiæ fidem adhibeat. Huc enim omnis ista redit argumentatio.

VIII. Primò apprimè considerandum dicit, (utar verbis ejus ne quid sibi affingi queratur) *Deum esse omniscium ac proinde omnes orationum à se prolatarum tam veras quàm falsas significationes optimè novisse, illasq; auditoribus lectoribusq; occurrere posse, non tantum prænovisse, sed etiam occursuras prævidisse, & cum nihil non præter illius providentiam accidat, ut veræ occurrerent providisse.* Quod dicto Augustini confirmat ex lib. 3. de doctr. Christ. cap. 27. Velim anteõnia hic indignã tanto Philosophiæ præcone ἀσυλλογισίαν notari. Num enim hæc conclusio sequitur ex præmissis? Deus omniscius novit orationum à se prolatarum tam veras quàm falsas significationes, non tantum prænovit illas auditoribus lectoribusque occurrere posse, sed etiam occursuras prævidit. E. providit ut veræ occurrerent, cum nihil præter ejus providentiam accidat. Quod Exercitatorem voluisse credo, licet gemina negatione usus sit. Nonne concludendum fuerat potius? E. providit ut veræ aut falsæ occurrerent, quia tam has quàm illas occursuras prævidit. Siquidem totum argumentum huic axiomati innititur: Quicquid Deus prævidit futurum id etiam providit ut fieret. Sed non placebat ista conclusio, quæ argumentum, quo lectorem Scripturæ ex prævisione divina volebat de veritate sensus certum reddere, evertit. Nam si falsas significationes

æquè ac veras occursuras esse legentibus vel audientibus prævidit, quidni etiam providisse ut falsæ occurrerent dicendus?

IX. Cum Augustino frustra concludit qui non iisdem nititur præmissis. Ille l.c. certitudinem sententiæ de sensu alicujus loci vult ex locis Scripturæ parallelis petendum. Dei spiritum providisse dicit ut sententia alia quæ fidei rectæ non refragatur occurreret, quia & ipsa est veritate subnixa. Non ergo certitudinem veritatis in sensu alicujus loci à prævisione divina suspendit sed ab analogia fidei & testimonio alterius cujuscunque loci divinorum eloquiorum. Negat rationi hic esse fidendum. Digna sunt ejus verba quæ audiantur *lib. 3. de Doct. Christ. c. 28. Ubi talis sensus eruitur, cujus incertum certis sanctarum Scripturarum testimoniis non possit aperiri, restat ut ratione reddita manifestius appareat, etiam si ille cujus verba intelligere quærimus eum forte non sensit. Sed hæc consuetudo periculosa est. Per Scripturas enim divinas multo tutius ambulatur: quas verbis translatis occupatas eum scrutari volumus, aut hoc inde exeat, quod non habeat controversiam: aut si habet, ex eadem Scriptura ubicunque inventis atq; adhibitis ejus testibus terminetur.*

X. Ad quæ si attendere voluisset Exercitator paradoxus, non adeo furiosè in locorum parallelorum usum esset debacchatus. *Quid enim* (inquit cap. 11. §. 2.) *commercii unius Scripturæ loci cum aliis? aut quid juris aut prærogativæ hujus in illum, ut per illum aut ex illo interpretandus veniat? An, quæ Matthæus vel Marcus Christum dixisse narrat, & subobscura videntur legenti illustranda venient ex iis, quæ commemorat Lucas aut Johannes & vice versa?* Mitto cætera. Nusquam enim magis insanit, ut rectè censet doctissimus ejus antagonista Nob. & Cl. *D. VVolzogen* libelli *de Scripturarum interprete* (cujus usum Celeberrimo Collegæ D. D. Steinbergio debeo) *pag. 225. & seqq.* ubi furorem ejus meritis vinculis coërcet.

XI. Itaque (ut ad argumentum redeam) vel particulariter concludit, *Deum providisse ut aliquando vera significationes occurrerent,* cum id præviderit & absque ejus providentia nihil fiat, quo sensu neminem quidem habebit repugnantem, sed nihil pro sententia sua concludet. Vel si universaliter, *Deum providisse ut semper vera significationes occurrant,* cum non sit autor erroris, uti in sequenti argu-

mento

mento eò tendit; præterquam quod hæc conclusio, prout ostensum, ex præmissis non sequitur, regia via ad istud tum deveniet absurdum, quod ex hoc argumento sequi supra indicatum, ut omnes de sensu Scripturæ opiniones meram veritatem continere credantur, quò & alterum ejus à veracitate divina petitum argumentum dirigitur. Vult enim secundò, *Deum esse veracem adeoque nec fallere nec falli posse, ac ideo nunquam per suos ministros quicquam ad decipiendos h. e. in alium sensum quàm quem verbis significare voluit, seducendos; nedum dubios quemnam plurium occurrentium intenderit, reddendos lectores vel auditores, aut voce protulisse, aut literis consignari curasse.*

XII. Ex quo quid concludat non nisi indirectè & per simile voluit expressum, sic ut hoc argumentum cum præcedenti conjungat. Unde verba ejus integrè proponam, quò de mente ipsius & quàm in hoc paradoxo se torqueat ac terminos callidè mutet apertissimè possit constare. *Nec quenquam* (inquit) *adeo perfrictæ frontis impiiq; animi credo, qui, cum hominibus vitio vertatur, sic scientes volentes sua componere verba, atque insuper nutibus, gestibus, aliisque corporis motibus ita omnes animi fallacis nervos intendere, ut in sensum non à se intentum, aut in plures, quorum quemnam intellectum voluerint dubitetur, incidant lectores aut auditores; tam enorme crimen Deo optimo Maximo, Enti perfectissimo, in quem ne umbra quidem falsitatis aut fallaciæ cadere potest, audeat adscribere. Quocirca cum talis ac tanta imperfectio longissimè ab eo sit removenda & in nullas S. Scripturæ veritates incurrat lector vel auditor, in quas eum incursurum non præviderit imò providerit Dei spiritus, cumque in omnes incurrere possit, sequitur omnes illas eo in loco ab ipso intentas significatasq; fuisse adeoque etiam esse veros sensus.*

XIII. Quis non hic videt quàm omnia sursum deorsum vertat autor paradoxus & ambagibus verborum, vel confusos suos conceptus prodat, vel saltem conetur lectorem incautum in transversum abripere? Deum confert cum homine. Horum in fallaciis artificiũ exaggerat, gestus, nutus & motus corporis huc trahit, nullo alio fine quàm ut lectorem decipiat. Quid enim ista huc pertinent? Quid huic simile in Deo aut sacris amanuensibus, si vel omnes homines à sensu S. Literarum aberrarent? Nulli jam Scripturarum auditores, qui ipsum earum authorem audiant loquentem. Homines sunt quos audiunt

diunt scripta divina legentes aut explicantes. Qui si cœcitate, præjudicio, præsumtione, ignorantia aliove modo decepti decipiant, vel data opera abusi ingenio suo id agant ut aliorum simplicitati illusisse credantur, nulla hinc labes aut culpa in Scripturas ipsas vel in Deum earum authorem redundat; non magis quàm in Magistratum & tabulas publicas, si conductitia præconis vox aberret vel credulæ civitati falsis rumoribus imponat. Omittenda ergo fuerant isthæc, & potius, si exemplo hominum omnem decipiendi conatum à sanctissimo Numine voluisset removere, sic ipsi erat agendum ut magis perspicuè ratio analogiæ & differentia pateret. Quod cum consultò forsitan ab ipso neglectum sit, quia tenebræ ejus lucem distinctæ perceptionis non ferebant, defectus iste supplendus est, præsertim cùm non alia ferè sit opus refutatione.

XIV. Fallunt homines scriptis suis alios (nam & se fallunt quãdoque, de quo jam non agitur) duplici modo, vel *per se* vel *per accidens*, *sua* aut *aliorum* aut etiam *utriusque* lectoris pariter ac scriptoris *culpa*: idque vel ita ut lectores à genuino sensu verborum arceãt, vel ut falsam illis de scriptore aut re tradita ingenerent opinionem. *Posterior* deceptionis species hic minus attenditur, quæ erroneam opinionem de animo scribentis, intentione & constitutione ejus, aut quoque re tradita, ejus veritate sive falsitate, legenti inspirat, & efficit, ut nunc indoctus pro docto, jam timidus pro forti, tum callidus veterator pro homine simplici, mox hypocrita pro pio, denique gravis constantiæ scriptor sed inconstans pro viro constantissimo habeatur, ut dubium videatur certissimum & vel maximè absurdum pro vero agnoscatur, non minus inverso ordine, quando lectorem imperitum animus præceps & præjudiciis oneratus in contraria pellit. Neq; enim is error sensum ipsius orationis spectat, sed ex vitio lectoris aut quodam peculiari cujusq; scripti charactere vel larva potius oritur, quæ ex callido verborum & rerum temperamento, blandis nominibus venena tegentibus, magno nomine Scriptoris & toto Sophistarum ac Rhetorum artificio componitur atque variis præjudicatis opinionibus innixa animos & oculos lectorum perstringit. Cujusmodi ferè sunt; artifici in sua arte credendum esse: virum gravem perpetuo ex animi sententia loqui: eum qui orationem bonorum

imitatur facta quoque imitari: & si quæ præterea his similes sententiæ vulgo feruntur.

XV. *Prior* saltem hic potissimum spectatur fallacia, quæ legentes facit à sensu verborum & orationis, quem ex communi loquendi usu habent, aberrare, atque ex verbis eorumque constructione ac sententiarum dispositione tota pendet. Ea quando *per se* & *vitio Scriptorum* committitur, vel studio & data opera, vel defectu quodam eorundem & ignorantia contingit. *Studio* decipiunt alios, non tam quando obscuritate sermonis animi sensa tegunt penitus & crucem Grammaticis figunt, quàm quando subdolâ æquivocatione & ambiguitate verborum atque constructionis, turbato etiam vel malitiosè adornato sententiarum ordine, mentem suam aut in suspenso relinquunt ut nulla ratione determinari queat, aut sic callidè attemperant, ut aliud quid sensisse quàm quod revera sentiunt lectoribus incautis credantur.

XVI. *Ignorantia* vero & defectu quodam alios in errorem inducunt, quando ad utrumque istud obscuritatis & ambiguitatis vitium impinguunt, non animo malo sed negligentia, elegantia affectata, defectu judicii & ingenii, aut peritiæ sermonis, atque exinde nunc obscurè nunc ambiguè loquuntur. Dum videlicet verba citra delectum adhibent, vel nimis seligunt studiosè, magis ob elegantiæ quàm perspicuitatis studium; dum periodos hiulca oratione deserunt potius quàm relinquunt, vel nimium torquendo ad aurium judicium inflectunt & ad Apelleas usque lineas quandoque attenuant; dū tandem neglectis methodi & Logicæ naturalis legibus scopas proponunt dissolutas & ex arena sine calce orationem exstruunt, vel in contraria currentes superstitione quadam ad Logicæ artificialis regulas & sectæ cui addicti sunt circa easdem placita sic omnia exigunt, ut verus sensus & connexio exinde lateat & etiam lectoribus peritis errandi occcasio hinc præbeatur.

XVII. *Per accidens* autem id contingit, sic ut non Scriptoris sed aliorum culpæ isthæc tum adscribenda veniat fallacia, quando *vel interpretis vel* ipsius *lectoris vitio* accidit, ut à vero orationis sensu aberretur. *Interpretis* quidem, sive is scriptum ex una lingua in aliam transfundat, sive illud eâdem aut diversa lingua idque viva voce vel

scripto

scripto explicet, multiplex potest esse defectus. Incidere enim potest in omnia quæ de vitio scriptorum modo tradita sunt. Nam & ipse si scripto agat jam scriptoris nomen obtinet. Sin verò viva voce interpretetur, multa contingere possunt præterea quæ auditores à vero sensu sermonis arceant, de quibus hic agendi non est locus. Ea autem interpreti quatenus relationem habet ad alios quibus aliquid interpretatur adscribo. Ipse enim, quà scriptum circa quod in exponendo versatur respicit & sibi ipsi nonnunquam soli scribit, eodem censu quo alius lector venit habendus.

XVIII. Hujus autem *lectoris*, quiscunque demum sit, eadem est conditio ut variis defectibus obnoxius sit. Ingenium hebes, judicium præceps aut languidum, linguæ & rerum traditarum imperitia vel notitia insufficiens, consuetudo vitiosa, attentio mediocris vel nulla, ἀσχολία denique & negotiis distractus animus, aut multis præjudiciis de scriptore, scripto & rebus traditis occupatus, infinitam à vero sensu aberrandi occasionem præbent. Non quod semper aberretur, quando aliquid horum in lectore potest notari, sed quod nunquam ferè solo lectoris vitio errori occasio detur, quin ex aliquo istorum defectuum id proveniat. Uti scripta non unius generis sunt, sic inter ista & lectorum capacitatem certa quædam proportio est. Infinita in stylo, argumentis, methodo & scopo librorum diversitas, nec minor in ipsis lectoribus. Quando ista proportio non adest, incassum laboratur. Si lector hebes ad scriptum acutum, imperitus ad exquisitum, in judicando præceps & moræ impatiens ad meditationem concatenata rationum serie scriptam accedat: non intelliget, hærebit sæpè in re obvia, aliò mentem Scriptoris trahet vel calumniis pervertet. Quod sanè nulla persæpè scriptoris ejusdem culpa contingit, qui signis vulgò receptis usus non potuit istis ambiguitatem quam sigillatim habent demere, nec habuit necesse, cùm intelgentibus scriberet, qui eruditos & rerum gnaros sibi optavit lectores atque orationem suo ingenio dignam & sapientia secutus est. Est enim aliqua in acumine sententiarum, parabolicis locutionibus & allusionibus commodis, orationis majestas. Ad quam si ob quamcunque istarum causarum lector quandoque non pertingat, vel sensum fingat alienum & sapientia Scriptoris indignum, sibi imputet. Seipsũ fallit, non à Scriptore fallitur.

XIX. Quibus denique omnibus istud accedit, quod errandi in sensu percipiendo occasiones mira & vix vel à capacissimo ingenio explicanda varietate implicat, *utriusque* scilicet *istius defectus conjunctio*, quando & scriptor fallendi animum habuit aut in scribendo ignorantia sive negligentia aliove modo impegit, & lector quoque animo malo & necessariis requisitis non satis instructus accessit, ut fallaciam detegeret, aut defectum scriptoris vel interpretis agnosceret benignè acciperet sibique ab utroque caveret. Hinc enim plures oriuntur inter scribentium & legentium animos diversi aspectus quàm Astrologi sibi inter sidera fingunt, error errorem trahit, plurimæ etiā calumniæ originem ducunt. Quæ omnia si quis ad S. Scripturam ejusque lectores transferat, facile videt, quotquot horum in istius lectione cæcutiunt, non vitio Scripturarum nihil videre sed mentium suarum, uti Cl. *Wolzogen pag.* 13. loquitur, cùm & deceptio & ignorantia longè ab illarum authore Deo & amanuensibus sacris sit removenda.

XX. Exinde autem jam eo magis fit perspicuum, quàm negligenter in hoc argumento versatus sit author paradoxus, *post arduam istam operosamque disquisitionem*, quam in Prologo jactat; & quàm multis modis in eodem defecerit. Annon enim ipsi fuerat explicandum, cur fallaciæ scriptoris attribuatur, si quis lectorum nonnunquam à vero sensu aberret? num id perpetuum sit & omnis error in lectore deceptionem in Scriptore importet? num saltem culpa erroris semper quoque in Scriptore hæreat? num is teneatur verba sua ita perpetuo componere, ne ullus lectorum à vero sensu aberret? Et si non fecerit, anne ideo pro deceptore habendus? Num hoc ulli hominum possibile sit præstare, aut saltem in Scripturarum Canone divina veracitas id postulet? Anne providentia Dei circa hominum errores eum fallaciæ arguat, si à sensu S. Scripturæ quisquam eorum aberret? Num velit denique Deus hanc ab omnibus intelligi, in omnibus, omni tempore? Sanè hæc & similia quæ ex parte supponit Exercitator, cùm robur argumenti quod à veracitate divina petit contineant, aliqua saltem ratione fuissent evolvenda. Verùm adeo levi brachio ea perstrinxit, ut postquam hominum fallacias obiter per adjuncta heterogenea enarrasset vix tribus verbis apodosin subjecerit

cerit, *tam enorme* ſcilicet *crimen ac tantam imperfectionem à Deo ente perfectiſſimo removendam eſſe.* Quin imò non potuit absque recurſu ad prius argumentum concludere adeoque de robore iſtius pſemet deſperavit. Videtur autem (ſi verba Exercitatoris th. 11. & 12. relata ſpectemus) id ita formandum eſſe. Omnis ſcriptor qui ſciens volens verba ſua ſic componit, ut in ſenſum non à ſe intentum aut plures, quorum dubium quemnam intellexerit, incidant lectores, is fallit & decipit. Sed Deus verax non fallit. E. nec ita ſciens volens verba Scripturæ per amanuenſes compoſuit.

XXI. Rurſum hic Exercitator, qui terminis infinitis delectátur, ad limites revocandus eſt. Aut enim in hoc argumento de quibuscunque lectoribus aut de quibuſdam ſaltem idque reſpectu omniū vel quorundam locorum loquitur. Si de omnibus & in omnibus, totúm conceditur nec habet cum quo diſputet. Id enim in confeſſo eſt, nec omnes lectores à ſenſu vero Scripturarum nec ubique aberrare. Sin de quibuſdam, in nonnullis, denuo quidem confirmabit illam abſurdiſſimam hypotheſin quam eum in ſinu fovere ſupra indicavi & aliquid pro ſententia ſua concludet: Sed major (quæ ne quidem priori ſenſu abſolutè vera eſt) negabitur. Negabitur inquam, quod deceptio ſit vocanda, ſi quis ſcriptor verba ſua ita componat, ut quidam lectorum aliquando aliquo modo in alienum ſenſum incidant. Eſt enim hoc *incidendi* vocabulum probè notandum. Quo dum Exercitator, licet antea voce *ſeducendi* ſubdolè uſus, non abſtinuit, faſſus eſt utique, per accidens fieri quandoque ut lectores à vero ſenſu Scripturarum aberrent. Neminem Deus aberrantem in alium ſenſum ſeducit, nec eum in finem Scripturæ datæ ſunt. Aberrationes quidem hominum nativâ cœcitate laborantium permittit, patitur *τοὺς ἀμαθεῖς καὶ ἀστηρίκτους στρεβλοῦν τὰς γραφὰς πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν* 2. Pet. III. 16. Quin & efficaciam erroris aliquando immittit. At tum non fallit ſed punit, uti benè monet jam aliquoties laudatus Rev. D. *Wolzogen p.* 172. qui ibid. & ſeqq. divinam circa errores hominum, etiam fidelium, providentiam luculenter & nervosè explicuit atque ab omni calumnia vindicavit.

XXII. Quid ergo tandem de iſta Exercitatoris hypotheſi qua omnes veritates veros ſenſus eſſe ſtatuit, gemino item argumentó

quo eam probare conatus est & scopo totius paradoxæ sententiæ censendum? Id nempe, syrma istam post se trahere absurditatum adeo longum, ut ambigendum sit, utrum ab infandam audaciam majori detestatione, an vero ob horrendam cœcitatem commiseratione majori dignus sit habendus, quam mecum licet jam recognoscat. Num quid enim absurdius dici potest, quàm neminem circa Scripturarum sensus errasse unquam, aut etiamnum errare, vel unquam erraturum? quicquid cuicunque somnianti de aliquo Scripturæ loco in mentem venerit id cum mente Sp. S. convenire? omnes quas sibi fingat quisquam veritates etiam veros sensus esse? Eo tamen absurditatis eum tendere, & ex istis quæ hactenus disputata sunt haud obscurè colligitur, & deinceps clariùs adhuc patebit. Homo hic versipellis, qui modestiam & unicum veritatis studium hinc inde profitetur, magno & mendaci hiatu *in Prologo* jactat, *se omnis generis, omnium locorum atque seculorum Theologos consuluisse*; & tamen suam in rebus Theologicis infantiam adeo prodit, ut ne quidem divinam veracitatem & providentiam omni labe carentem potuerit cum erroribus hominum conciliare, quin sententiam quovis monstro monstrosiorem adoptaret.

XXIII. Si enim ista ejus ratiocinatio de quavis imaginaria veritate pro vero sensu habenda procedat, S. Scriptura nasus reipsa fiet cereus qui in omnem partem flecti queat & cujusvis hominis arbitrio subjaceat. Quamcunque veritatem hic se in aliquo loco videre crediderit, quoniam id prævidit Deus nec citra ejus providentiam contigit, eam isto contineri adeoque verum ejus sensum esse eoipso erit statuendum. Sic nullus erit sensus, nulla opinio, quæ non poterit loco aliquo Scripturæ arrepta undicunque occasione confirmari eidemque inferri. Sic etiam contrarii sensus eodem loco obtinebunt, juxta illud Rabbinorum de contrariis Doctorum suorum opinionibus· אלו ואלו דברי אלהים חיים *Hæc & hæc verba Dei vivi sunt*, de quo *Buxtorf. Synagog. cap.* 1. Sic Scriptura, priusquam aliquis sensus inde eliciatur, tanquam ferrum candens incudi erit imponenda & malleo corruptæ rationis percutienda, ut scintillæ verorum sensuum emicent quo simili ex eorundem Rabbinorum sententia utitur Exercitator *cap.* 4. § 9. Sic in Scripturis interpretandis pueros imitabimur perpe-

perpetuo, *qui campanarum sonos eosdem semper & uniformes quibuslibet mente conceptis motibus solent accommodare*, quod contrarium simile idem D. *Wolzogen* commodè adhibet *pag.* 180.

XXIV. Hoc demum sensu largiemur lubentes Authori paradoxo δοκησισόφῳ, posse istâ ejus novâ methodo (quo ipso se *in Epilogo* magnificè effert) *disputationum disceptationumque serram quæ tam animosè atque acriter ducitur auferri; & universo Christianorum orbi tranquillitatem atque pacem conciliari & in æternum stabiliri*. Sanè si non repugnare credatur, plures sensus etiam contrarios eodem loco obtinere, ex isto principio; Quicquid Deus prævidit alicui tanquam verum occursurum esse in aliquo Scripturæ loco id verus ejus est sensus: pax erit orbi Christiano reddita. Nullæ jam amplius erunt controversiæ. In eodem portu navigabunt omnes. Omnis contrarietas & contradictio erit sublata. Nullus alterius opinioni repugnabit, si ad divinam omniscientiam respiciat & cogitet, non minus Dei providentia factum esse, quod in loci alicujus explicatione diversus imò contrarius suæ opinioni sensus aliis placuerit. Ita nullus jam sensus erit falsus, in infinitum licebit novos adinvenire. Qui dummodo aliquod in ratione fundamentum habeant, verborum quadrabunt eoipso sensui & pro veris sensibus erunt agnoscendi, quia (juxta hunc hominem) pugnat cum divina veracitate, sic loqui ut aliquis etiam sua culpa in errorē inducatur vel à mente S. Literarum aberret.

XXV. Sed dispiciendum ipsi dum fuerit Exercitatori, quid de judicio contradictionis statuat. Nam stante istâ hypothesi nulla opinio alteram evertet, convenient eidem loco quæ aliàs toto cœlo discrepant. Nusquam implicabit, eadem verba in eâdem sententia & tropica & propria esse. Modò illud quod quis putat loci alicujus sensum esse in se verum à ratione qualicunque modò agnoscatur, id eo loco à Spiritu S. significatum fuisse erit dicendum. Quod priusquam persuadeat illis quorum disceptationes de sensu Scripturarum tollere conatur author paradoxus, Anticyras ipsi erit navigandum, ut helleborum bibat & malè sanum sinciput tot opinionum portentis liberet.

XXVI. Potest quidem Exercitator regerere, se de veritatibus tantùm loqui, quæ à Philosophia prius ceu tales approbatæ. Qua-

rum si plures eodem loco uni aut pluribus occurrant, non possint non simul eodem loco esse significatæ, quùm ut occurrerent divina providentia sit factum. De falsis & contrariis sensibus id non valere, cùm falsitas veritati repugnet & veritas veritati non sit contraria, quod ipse *cap.* 5. §. 7. & toto *cap.* 8. probarit. Verùm nec sic elabitur. Nam nullus sensus adeo falsus est in se, quem non Interpres ejus Philosophia approbet, utpote cujus ultimum judicium de veritate aliquâ in claram & distinctam cujusque perceptionem h. e. persuasionē fallacēm resolvitur, quod jam jam evictum dabo.

XXVII. Sic ergo omnis de sensu Scripturarum disquisitio tandem in disputationem Logicam de contrarietate & contradictione desinet. Imò non procedet argumentum ab omniscientia & veracitate divina desumtum, quo istam suam de pluralitate verorum sensuum sententiam propugnat, nisi simul eo absurditatis deveniat (quo eum devenire necesse est si jactatum in conciliatione dissidentium paradoxi sui fructum asserere velit) ut statuat, non tantum omnes veritates quæ alicui occurrunt, sed etiam omnes cujuscunque de sensu alicujus loci opiniones veros sensus esse. Absit ut quicquā authori paradoxo per calumniam impingam, aut dicam, eum advertisse omnia ista absurda ex sententia sua sequi. Id saltem contendo, posse ista per legitimam consequentiam ex ejus hypothesibus deduci, fructum etiam paradoxæ sententiæ, de quo gloriatur, aut nullum esse & intra inanem jactationem consistere, utpote suspensum ex conditione impossibili, aut cum istis absurditatibus conjungendum, adeoque vanum esse, quocunque etiam se vertat. Quod mihi videor ex sequentibus clarissimè collegisse.

XXVIII. 1. Dum de lectoribus & auditoribus indefinitè ac citra ullum discrimen loquitur, supponit eoipso, Deum velle ut oratio sua à quolibet intelligatur, vel saltem ideo datas esse S. Literas, ut cujuscunque sive casu sive consilio bono malove eas versantis institutioni inservirent. Quod quàm absonum sit non opus est ut commonstrem, cùm id strictim ac nervosè fecerit quem sæpius testem laudo Cl. *Wolzogen pag.* 166. & 172. 2. Ni argumentum à veracitate divinâ desumtum velit deserere, statuat oportet, si quis Scripturæ *lector* vel auditor in alium sensum quocunque modo seducatur

tur quàm quem Deus verbis significare voluit, Deum hoc ipso per ministros suos aliquid aut voce protulisse aut literis consignasse ad eosdem decipiendos adeoque deceptorem videri. Prævidit enim per omniscientiam, istum sensum Lectori vel auditori occursurum, nec tamen per veracitatem ita temperavit sermonem, ne quis in errorem induceretur.

XXIX. Adeoq; 3. ut supremum Numen ab hoc crimine liberet, id vel invitus secundùm hanc hypothesin suam fateri tenetur, neminem adeo delirum, adeo imperitum & ab omni interpretis munere alienum ad S. Scripturam legendam accedere, quin verum sensum eruat, & hâc ratione immensam illam opinionum de sensu scripturarum farraginem nil nisi meras veritates continere. Quin enim præviderit Deus quoscunque hominum in Scripturis interpretandis errores nullum dubium est. In quos cùm incidant sæpissimè etiam quando de vero sensu admodum soliciti sunt & anxiè laborant, aut ab errore sunt absolvendi & veritatem aliquam eruisse credendi, aut divina veracitas secundùm authoris paradoxi hypothesin justæ criminationi subjacebit. Si enim de solis veritatibus voluisset loqui strictè sic dictis & non quicquid lectori tanquam verum occurrit *veritatem* vocasset, haud scripsisset §. 8. *ad decipiendos* h. e. in alium sensum *quàm quem verbis significare voluit seducendos* &c. Quoipso quascunque verisimiles lectoris opiniones sensum verbis significatum continere haud obscurè indicat, *in aliam veritatem* scripturus potius, ni latius hanc extendere animus fuisset.

XXX. Cum quibus etiam pulchrè conspirant, quæ de clara & distincta perceptione tradit *Cap.* 5. §. 5. *&* 6. Vult enim rationem in illis quæ clarè & distinctè perceperit asserendis errare non posse. Omnem claram & distinctam perceptionem, præter veritatem adjunctam habere certitudinem. Quicquid vera Philosophia docuerit id ratum esse ejusque persuasioni plene acquiescendum. Cùm etiam nulla sit clara & distincta perceptio quæ non intimè sui conscientiam nobis gignere possit, Deum uti illius perceptionis causa est, ita etiam *hujus intimæ conscientiæ causam esse, & cùm hæc conscientia rem perceptam esse veram indubiè nobis*

F per-

persuadeat, dictet, testetur atque inspiret, non immeritò nec incongruè eam Dei seu Spiritus S. persuasionem, dictamen, testimonium atque inspirationem appellari posse.

XXXI. Quæ omnia cùm Exercitator ita connectat, ut nullo rerum percipiendarum discrimine habito, ex intimâ persuasione conscientiæ tandem certitudinem de veritate rei perceptæ in sensu Scripturarum suspendat; nemo non videt, eum (non obstante istâ Philosophiæ quam interpretem agnoscit descriptione, quæ *cap.* 5. §. 2. legitur) aut quamcunque opinionem verisimilem ceu veritatem à Philosophia approbatam admittere debere & statuere, ab ejusmodi opinione æquè ac ab alia, quæ certiori fundamento nititur, verum in aliquo loco sensum exhiberi: aut concedere, hypothesin illam de veritate cujusque loci Scripturæ pro vero sensu agnoscendâ, gemino isto argumento malè probatam, multò minus demonstratam esse, quod *cap.* 6. §. 1. jactat. Quisquis enim sibi sensum alicujus loci Scripturæ imaginatur, de veritate ejus intimè sibi conscius & persuasus est, si rem seriò agat. A quâ persuasione cùm Exercitator certitudinem veritatis voluerit suspensam, consequetur necessariò, omnem cujusque de sensu alicujus loci opinionem (secundũ illam hypothesin) eo ipso veram esse.

XXXII. Nam res Scripturæ & aliorum librorum non distinxit. Pari loco illam & hos habuit, maximè in illis quæ sub finem Epilogi disputat. Nec explicare voluit, etiam ubi necessarium erat, quidnam Apostolus 1. Cor. II. 14. per *ea quæ sunt spiritus Dei* & *spiritualem dijudicationem* intelligat, cautè prætendens *pag.* 54. *instituti rationem non sinere, ut tam vastum mare ingrediatur*. Scilicet hîc aqua ipsi hærebat. Distinctionem quoque conscientiæ rectæ & errantis ne verbo quidem attigit, licet tritam & à Casuistis studiosè inculcatam. Quâ neglectâ, undè quæso alterius persuasionem coargues, si claram & distinctam perceptionem opponat atq; ad intimã conscientiam provocet quæ (teipso judice *cap.* 5. §. 6.) *à Deo est & rem perceptam esse veram indubiè nobis persuadet, dictat, testatur atque inspirat?* Num ad Philosophiam recurres & rationibus eum oppugnabis? Nugas te dicet agere & sophis-

sophismatis velle veritatis intimum sensum sibi eripere. Tuis te armis oppugnabit. Deum dicet verbum suum non frustra dedisse. Prævidisse omniscientiâ suâ, hunc sensum sibi occursurum, adeoque haud dubio, cùm verax sit & fallere nescius, alia verba, aliam orationem dictaturum fuisse amanuensibus sacris, si in hoc sensu suo, quem tanto studio eruerit imò precibus impetrarit, & de cujus veritate persuasissimus sit, vel falleretur ipsemet, vel alios falleret quibus eundem ceu verum studet commendare.

XXXIII. Nolo certitudinem istius axiomatis, quo verum esse statuitur quicquid clarè & distinctè à nobis percipitur, usquam ullatenus in dubium vocare, utpote quod omnis solidæ cognitionis fundamentum est. Id saltem pertendo, multiplici opus esse limitatione, ne quis (quod Exercitatori accidit) per istud malè intellectum aut applicatum in errorem abripiatur. 1. Distinguendum inter id quod reipsa clarè percipimus & id quod recordamur nos antea clarè percepisse. Aliquando enim rem ipsam clarè distinctèque percipimus. Aliquando verò obtutus mentis ad res clarè percipiendas non defigitur, sed tantum recurrit memoria judicii de iis ante facti, cùm non amplius attenditur ad rationes propter quas tale quid judicavimus. Cujus distinctionis usum explicat Cl. Patruus meus, ob paternum affectum & summa in me merita jugi semper observantia colendus, D. *Tobias Andreæ* Polyhistor & Philosophus Groninganus *Assert. Method. Vol.* 1. *pag.* 643. *& seqq.*

XXXIV. 2. Quod quis clarè & distinctè percipit non est confundendum cum eo quod quis se putat clarè distinctèque percipere aut percepisse jactat. Prout enim in perceptione quæ sensuum ministerio utitur, frequenter accidit, ut ob mentem alienatam vel præjudicio occœcatam, vitiatum organum, aërem corruptum aliamve similem causam clarum & distinctum appareat, quod confusum est & obscurum, si accuratius examinetur: ita in perceptione quæ sola mentis opera meditando peragitur, idem sæpè, ob præjudicia maximè, contingit. Nec foret in tali perceptione ullus error, si mens assensum & judicium cohiberet atque

 pate-

pateretur idem pari passu cum perceptione progredi. Jam verò cùm secus fiat plerumque, magnum inter perceptionem puram, de quâ istud axioma intelligendum, & hanc quæ præcipiti judicio innectitur, est discrimen. 3. Haud arbitrandum, posse omnia ab uno æquè ac alio idque omni tempore clarè distinctèq; percipi, etsi vim omnem ac facultatem adhibeat animumque intendat, etiam mediis iisdem utatur. Quamvis enim nulla res æquabilius inter homines distributa sit quàm bona mens, eoipso tamen non omnis ingeniorum diversitas tollitur, nec negatur, uno tempore magis quàm alio mentem corpori junctam ad res percipiendas liberam esse.

XXXV. 4. Uti quicquid clarè ac distinctè percipitur id verum est, sic non dicendum è converso, quicquid verum est & ceu tale agnoscitur, id clarè & distinctè percipi. Potest enim quis cœco impetu in veritatem ferri. Potest casu in veritatem incidere, ut verum agnoscat, quod tale quidem est, sed absque justo examine, non legitimo investigandi ordine, ab ipso pro tali habetur. Quod adeo frequens est, ut hoc uno ferè discrimine solida sciētia & instabilis aut pertinax etiam opinio distinguantur. 5. Imò ne quidem inde concludendum, omne quod verum est id clarè & distinctè percipi posse. Sunt enim multa tum in immēsâ natura Dei, tum etiam in rebus ab eo creatis, quæ captum nostrum excedunt. Sunt mysteria, ad quæ humana capacitas nequit pertingere eousque ut eadem clarè distinctèque percipiat, cujusmodi Trinitatis, incarnationis, & similes religionis Christianæ apices. 6. Multo minus, quicquid pro vero habendum est, id semper clarè distinctèq; percipi debere. Ipse enim Cartesius disertè cavit, ne quis istâ regulâ in rebus fidei uteretur. Quò verba ejus spectant *Princip. Part.* 1, §. 25. *Non recusabimus illa credere, quamvis non clarè intelligamus.* Quibus similia *in Resp. ad Object. secundas* & *in Resp. quartis ad ea quæ Theologos morari possunt*, leguntur, ex quibus idem Celeb. Patruus meus hanc mentem ejusdem Cartesii asseruit *Replic. pro Notis pag.* 279. *& seqq.* uti eandem familiari dicto hujus Philosophi confirmavit *D. VVolzogen p.* 198.

XXXVI. Hos ergo limites si observasset Exercitator, non confu-

confudiffet quæ fuerant diſtinguenda, nec adeo audacter & infeliciter, quod Magnus Philoſophus de rebus naturalibus protulerat, eo invito ad res divinas tranſtuliſſet, atque ejus nomen & Philoſophiam (quæ cunctis ſtudia ſolidæ ſapientiæ amantibus in pretio ſunt) tantæ invidiæ apud iniquos judices & antiquos obtrectatores objeciſſet, quaſi hiſce paradoxis & infauſtis conatibus faverent, qui tamen ex lacunis potiùs parum fauſti Socini derivantur. Quod inter alia quoque creationem ex nihilo & reſurrectionem carnis ejuſdem ſub fin. cap. 8. negans, ſatis Exercitator comprobavit. Bene eſt, quòd calumniæ hinc oriturae dudum providè occurrit ſubactiſſimi judicii Celeberrimus Theologus, (cui inſignis injuria illata eſt dum ab Exercitatore illaudato laudatus) ſub nomine *Irenæi Philalethii* in tractatu Belgico cui titulus *Bedenkingen op den ſtaat des geſchils &c.* in hunc ferè ſenſum ſcribens *pag.* 53. *Poſito Socinianum aliquem guſtu Philoſophiæ Carteſianæ capi atque regulam illam, ut nil ceu verum admittatur, niſi quod clarè & diſtinctè perceptum eſt, etiam ad articulos fidei & abſtruſa myſteria extendere, nonne calumnia foret, ſi quis opinionem ejuſmodi Socinisticam Philoſophiæ Carteſianæ & omnibus ejus aſſeclis iret obtruſum ?* Sanè res non aliter ſe habet, id quod Exercitator vel ex *Logica* Cl. *Claubergii* (quem etiam aliquoties laudando vituperavit) diſcere potuiſſet *Part.* 1. *qu.* 131. 132. ubi res fidei & vitæ ab iſta regula excipit verbis diſertis.

XXXVII. Quin & conſcientiam ac perſuaſionis certitudinem non adeo indefinitè urſiſſet idem Exercitator paradoxus, ſi ea quæ ſuperius de clara & diſtincta perceptione *num.* 2. & 4. potiſſimũ monita ſunt, ullatenus ad animum vocaſſet. Nam veriſſimè ſcripſit *Gaſſendus Diſquiſit. Metaphyſ.* ſeu *Inſtant. ad reſp. Carteſii pag.* 101. *Oportet ut planè contraria imò contradictoria ſint vera, ſi illud omne verum ſit, quod ſe quiſque percipere judicat clarè & diſtinctè.* Qui tamen eodem loco circa illos *qui mortem oppetunt pro falſis vel oppoſitis opinionibus* ſic inſtat ad reſponſionem à Carteſio datam, ut reipſa oſtendat (ni Sceptico more ludere voluerit) ſe ad eundem lapidem cum Exercitatore impegiſſe. Dixerat Carteſius objectionem ab iſtis deſumptam nihil probare, *quia probari nun-*

quam possit illos clarè & distinctè percipere id quod pertinaciter affirmant. Nec potuisset, ut arbitror, respondere commodius aut magis directè, quàm sic negando id quod malè supponebatur & tacitè distinguendo inter veram & prætensam, puram & præjudiciis innixam talium perceptionem.

XXXVIII. Quid verò reponit Gassendus? 1. Hanc responsionem solidam *præclarum effugium* dicit & vult Cartesium *subindicare, in ipsorum non modò caput ac cerebrum, sed etiam in mentem penetrandum esse, ut quâ conditione percipiant probetur.* Queritur etiam eum objectionem suam *obliquo ductu præterlabi.* At verò, qui negat, adversarium suum, scopum ferire ejusq; rei causam dicit quod falsa hypothesi utatur, is haud censendus est effugia quærere aut obliquo ductu agere. Quorum illud à Cartesio factum, nequaquam verò id quod Gassendus fingit subindicatum. Non enim positivè de istorum hominum perceptione, sed negativè tantùm agebat, non qualis esset, sed qualis non esset subindicans. Sufficiebat ad scopum ejus, quod non esset clara ac distincta, etiamsi ab istis pro tali jactaretur. Quorum assertioni dum supponit fidem adhibendam haud esse, jam occurrit isti quòd Gassendus 2. *Perspicuum* (ait) *videri argumentum, percipere illos clarè & distinctè opinionem aliquam tanquam optimam atque præferendam quod pro ea mortem oppetant.* Quod exaggerat à jacturâ vitæ irreparabili, quæ omnem fictionem excludat.

XXXIX. Nam attendere debuisset hic Philosophus, non quæri de certitudine istius perceptionis, num hæsitent tales aut fingant quicquam? an verò intimè persuasi sint, revera id quod opinantur ita se habere? Id enim nonnunquam contingere Cartesius haud negat & facilè concedi potest. Sed quæstionem esse de fundamento solido illius perceptionis, quæ catachresticè talis, potius judicium, opinio & præjudicata sententia vocanda esset, cùm judicio (cui aliàs contradistinguitur) sic innexa sit, ut ferè ab eodem tota absorbeatur. Hîc nempe probandum fuerat Gassendo istam evidentiam perceptionis, in illis qui falsa pro veris eousque amplectuntur ut etiam vitam eorum gratiâ profundant, tantam sem-

ſemper, imò vel unquã, eſſe, ut poſſit vocari non ſolùm aliquo modo clara, mentis oculos veluti faſcino aut fulgetro perſtringens, ſed etiam diſtincta, cui ſingulæ rei quam apprehendit partes, omni difficultate ſublata, penitus ſint cognitæ.

XL. At eam probationem frigidè ſatis à nuda ejusmodi hominum pertinacia arceſſivit. *Hoc ipſum* (inquit) *quod tanta pertinacia affirment ut etiam pro eo quod percipiunt moriantur, demonſtrat abundè quomodo percipiant.* Nam ſi ne quidem hinc (id quod maximè quamvis fruſtra urget Gaſſendus) colligi poteſt firmiter, non fingere tales quicquam, quomodo clara & diſtincta perceptio illinc elicietur, cùm tot ſint animorum motus qui vitæ contemptum ingenerant? Cadere autem mendacium etiam in moribundos, & exempla teſtantur hominum profligatorum, & ortum quoque exinde apud JCtos proverbium, quod non omnis moriens ſit Johannes Evangeliſta, *Godelmanno* citatum *de Magis perſequendis l. 3. c. 9.* Verùm quid opus ambagibus? Ipſum Gaſſendum confitentem audiamus. Pergit enim: *Non quod aliqui non fallantur, ſed quod putent ſe tam clarè diſtinctèque percipere id quod verum putant, licet falſum ſit: quàm putant ii qui non falluntur ſe percipere id quod verum putant & quod verum eſt.* Notet lector, quod non dicat, iſtos ea quorum gratia mortem videntur oppetere, clarè diſtinctèque percipere, ſed ſaltem *putare* ſe tam clarè diſtinctèque percipere quod verum putant, imò, ut ſupra vidimus, non rem ipſam clarè diſtinctèque percipere, ſed ſaltem opinionem aliquam, *tanquam optimam atque præferendam,* amplecti. Hoc autem nec regulæ Carteſii de evidentiâ claræ diſtinctæque perceptionis veritatem aſſertam arguente obeſt quicquam, nec ab ullo in dubium vocatur.

XLI. Planum ergo ex omnibus iſtis, quod Gaſſendus Carteſium hîc neutiquam oppugnet, & quoque, dum objectione illa ad pſeudomartyres videtur reſpicere, iſtam regulam una cum Exercitatore anonymo ad res fidei extendat, præter & contra Carteſii mentem ſupra dilucidè expoſitam. Vult is quidem etiam in rebus fidei certitudinem & evidentiam perceptionis non abeſſe, quoniam rationi clariſſimum eſt, quicquid Deus revelat, id verum

esse & credi debere. Sed quando de sensu hujus revelationis disquiritur, nusquam dicit hunc rationi & Philosophiæ subjiciendum & ab ea prius approbandum.

XLII. Quam tamen methodum in consulendis Scripturis, Exercitator *sub fin. Epilogi* sic exposuit, ut 1. S. Literas in eundem planè censum cum aliis scriptis humanis redegerit, negans disertè, quòd veritatis docendæ respectu Scripturæ utilitas aliorum librorum utilitati sit anteponenda. *Dicimus* (inquit) *S. Scripturam, quoniam cum aliis libris in eo quod ex orationibus componatur convenit, etiam cum iisdem in veritate docenda convenire debere.* 2. Hanc demum omnem istarum dixerit utilitatem esse, quòd nobis occasionem suggerant cogitandi de rebus traditis easdemque examinandi. *Atque adeo* (pergit) TANTUM *conducere ad lectores suos excitandos compellendosq;, ut de rebus de quibus in illa sermo fit, cogitent, in illas inquirant & num ita quemadmodum proponitur cum iis comparatum sit examinent.* Et paulo post, *minimè supervacaneum esse* dicit, *Scripturam adire atque consulere; non quidem ut illa veritatem aut per se mentibus nostris ingeneret, aut clariorem distinctioremq; reddat aut magis firmam faciat: sed ut, quemadmodum diximus, occasionem materiamque cogitandi suggerat, & quidem de talibus, de quibus forsan aliàs nunquam cogitassemus.*

XLIII. Nempe 1. Perabsurdè supponit, omnes libros adeoq; etiam Scripturam ex ejusmodi tantùm orationibus inter se connexis copulatisq; constare, quæ necessariam connexionem terminorum admittant, quorum jam antea notæ ideæ, ubi attributa essentialia & realia prædicentur de rebus, atque omnis in eruendo vero sensu conatus unicè tendat *ad ideas quas jam rerum in mente efformatas habemus claras atque distinctas quæque in illis libris vocabulis denotantur contemplandas, inter se comparandas ac num una alteri includatur aut connexa sit examinandas.* Quò etiam exemplum de omniscientia divina spectat, quod unicum ad hypothesin istam confirmandam protulit. Quasi verò nulli extarent historici, nec maxima Scripturæ pars, imò certo sensu tota Scriptura, historiam exhibetet: aut in propositionibus contingentibus talis idearum vel notionum simplicium comparatio locum haberet, ad veritatem ista-

rum

rum determinate eruendam. Quasi nullæ sint notiones simplices ex Scriptura demum hauriendæ, solo Scripturæ usu cognitæ. Cujusmodi plurimæ reperiuntur ad cultum Leviticum spectantes ut & aliæ, כפרת seu ἱλαστήριον, arca fœderis, Cherubim, Messias, Pascha, Spiritus sanctitatis, παρακοὴ ἑνὸς, ὑπακοὴ ἑνὸς, ἄνθρωπος παλαιὸς, νόμος ἐν μέλεσι, σῶμα θανάτου, βασιλεία τῶν οὐρανῶν, τὸ μάννα τὸ κεκρυμμένον & similes innumeræ, ut phrases taceã. Quasi deniq; omnes periodi S. Scripturæ essent meræ sententiæ & propositiones simplices, nullo ordine aut connexione Logica inter se cohærentes, atque in vero sensu eruendo sufficeret, ideas rerum vocabulis expressas inter se comparare & num una alteri includatur vel connexa sit examinare.

XLIV. 2. Sic utilitatem Scripturæ exponit, ut revera inutilem asserat & etiam infra scripta humana deprimat. Quis enim unquam auditus est adeò abjectè de ullo autore profano sentire, ut dixerit eos saltem occasionem suppeditare meditandi de rebus traditis & examinandi, num ita cum istis sit comparatum. Anne ideo tantum historiarum volumina leguntur & moralium Scriptorum præcepta, ut occasionem suppeditent in istorum veritatem inquirendi? Tolleretur utique omne testimonium tam divinum quàm humanum, si nec testis in rebus facti veritatem doceret & suâ authoritate firmaret, nec legum majestas in rebus juris quid faciendum aut vitandum sit præscriberet. Tanti tamen Exercitator S. Scripturam haud fecit. Quæ, uti *pag.* 104. ab eodem rationi & Philosophiæ subjecta fuit, frustraneâ & contradictoriâ inter materiale & formale Scripturarum distinctione, sic hîc, juxta illius impium effatum, *nec veritatem per se ingenerat, nec clariorem reddit* aut illustrat, imò *ne quidem* authoritate suâ *firmat*. Quò impietatis cum deventurum (hypothesi ejus & paradoxâ sententiâ id aliàs haud exigente) nemo facilè credidisset, nisi ad objectionem istam *satis magnæ molis*, (uti judicabat) de omni S. Scripturæ utilitate per paradoxam sententiam sublatâ, sic respondisset, ut nihil planè responderet & tanquam scorpius venenum cauda effunderet.

XLV. Nec est quod prætexat, se utilitatem Scripturæ *maximã & aliorum librorum utilitati longe anteponẽdam*, respectu rerum *summam hominum beatitatem concernentium adeoque illis præ cæteris omni-*

bus conducentium asseruisse. Nam etiam Philosophorum scripta præclaris sententiis agunt de summo bono & hominum felicitate summa. Num causa est, ut Paulum Senecæ vel Plutarcho præferat, si in eo tota Scripturæ utilitas & præstantia præ cæteris absolvitur, quod res ejus beatitudinem hominum concernant? O hominem profanum! Vis quidem veritatis ei extorsit ut scriberet, occasionem in S. Literis suggeri *de talibus cogitandi de quibus forsan aliàs nunquam cogitassemus.* Sed dubitanter nihilominus locutus est, ne rationi suæ omnisciæ quicquam detraheret. Quasi de eo ullatenus foret dubitandum & nõ ipsa Scriptura pluribus locis id citra controversiam testaretur. Mira sanè est hominis, aut perversitas, aut cæcitas. Nam ut ad fructum paradoxæ sententiæ (cujus th. 24. mentio facta) redeam & id quod th. 5, & 27. promissum porrò exequar, paucis adhuc, priusquam misso isto paradoxographo ad examen Defensionis Morianæ progrediar, stuporem ejus, tam in primo isto commodo tollendorum in sacris dissidiorum, quàm in reliquis, ad oculum ostendere animus est.

XLVI. Probatum opinor satis superque, cum quibus absurditatibus commodum istud unionis animorum inter Christianos in religione diffidentium necessariò conjungatur, si ex paradoxa sententia procedere debeat. Superest ut demonstretur quoque, illud intra inanem jactationem consistere & ex conditione impossibili suspensum esse, si Exercitator neget, se istud ex quo tot absurditates deductæ sunt intendisse. Nec opus hic ullis ambagibus. Dico eum supponere debere, posse rem eò deduci, ut omnes Scripturæ lectores veræ prius Philosophiæ ritè operam dent & ratione suâ rectè utantur, vel saltem rectè monentibus & vera tradentibus cedant, evidentiâ argumentorum convicti. Si enim beneficio Philosophiæ, tanquã normæ indubitatæ, assensus extorqueri & omnis disceptatio tolli debet, oportet ut omnes illius ratiociniis locum dent, & quod evidens est in se, cuivis cui exponitur evidens quoque appareat. Quod num fieri queat, vel futurum sit unquam, ubi hæreses oportet esse, ubi plerorumque mens corpori sic immersa ut vix suspicere valeat, ubi fides non cujusque, tanta etiam in plurimis σκληροκαρδία & semper major incredulorum quàm credentium numerus; ipse dijudicet Exercitator, quẽ suæ relictum vanitati nolo pluribus incõmodis urgere.

XLVII.

XLVII. Id saltem de cæteris commodis hujus paradoxi, quæ *in Epilogo* commemorat idem Exercitator, moneo, frustra compendium in sensu eruendo, nec citra contradictionem, ab eodem jactari, quando ita loquitur: *Sed hac à nobis assignata norma instructus quilibet proprio Marte & Dei mentem vestigare eruereque & ab aliis investigatam erutamque explorare & num genuina sit indubiè dignoscere poterit.* Antea enim dixerat, non fore neçesse ut aliorum commentatorum sententiæ consulantur & expendantur. Jam verò vult hâc methodo sua mentem Dei ab aliis investigatam explorari, quamvis addat id proprio Marte fieri. Quasi mens Dei ab aliis investigata explorari queat, nisi Commentatores consulantur. Quasi etiam necesse sit, ad sensum Grammaticum eruendum, omnium semper locorum seculorumque Commentatores evolvere. Quasi denique tum non æquè proprio Marte in aliorum sententiis expendendis procedi possit, quando solam Philosophiam unicè haud sequimur.

XLVIII. Quibus omnibus dum tres alias utilitates hujus normæ attexuit, quid quæso aliud fecit quàm temeritatem suam professus est & de rebus sibi incognitis pronunciavit? Antea quidem mirabar egregium Philologum *pag.* 78. in loco Neh: VIII. 9. judicium suum opponentem omnibus melioribus interpretibus, ac statuentē quod מפרש *expansum* significet, perinde acsi פרש & פרש idem forent. Sed mirari desii, ubi in ista commoda oculos conjeci, atque audivi, non tantum posse beneficio hujus interpretis Philosophiæ corruptiones textus originalis deprehendi & spurias lectiones à genuinis discerni, sed etiam falsas translationes corrigi, *idque ab iis qui linguarum Originalium sunt ignari easque addiscendi occasione carent.* Sunt enim hæc adeo absurda iis qui linguas originales vel à limine salutarunt, & obiter norunt, cujus generis sint vel prætensæ corruptiones, vel variantes lectiones, vel vitiosæ translationes, de quibus inter Philologos disquiritur: ut ea asserens stultior sit barbaro Potitio etiamsi plus quàm Thalem se sapere censeat. Cautè quidem adjecit, se de ejusmodi corrupto textu, spuria lectione aut mala tralatione loqui, *quæ falsum docuerit.* Sed proferat eam in rem ullum exemplum, ubi tale *falsum* ex aliqua istarum causarum *doceatur*, cujusmodi is supponit à Philosophia unicè deprehendi infallibiliter posse, eousque ut

fateatur *se cogitatione assequi non posse, unde non alias lapis lydius ad ista dignoscenda comparari queat.* Faciat hic experimentum methodi suæ & vel unico exemplo eam comprobet, si velit dictis suis fidem adhiberi. Quod ad Calendas Græcas forsitan eum præstiturum, nullus dubito. Sufficient nobis Masora, Codices antiqui & meliores, exacta linguarum originalium & historiæ cognitio, ac analogia fidei, ad depravationes removendas, variantes lectiones componendas & discernendas, detegenda denique vitia versionum. Lapidem istum Philosophicum eam in rem ipsi haud invidebimus, id unicè precati, ut ad se redeat, & vel ista quibus constrictus tenetur solvat, vel palmam det veritati.

XLIX. Fusius hæc autem adversus Exercitatorem paradoxum disputata sunt, ob causam quæ th. 5. dicta fuit. Nam D. Morum quoque ista magnam partem eatenus spectant, quatenus & ipse opiniones veritatis specie sibi occurrentes in Philosophorum scriptis, tanquam veros sensus textui Mosaico intulit, (ut alia hîc non commemorem, quorum parallelismum ex disputandis deinceps facilè erit cuivis instituere) ingenuè fassus *Defens. pag.* 192. *cùm aliquid ultra sensum literalem audemus nos non doceri per Scripturam, sed id quod aliâ viâ didicimus isti applicare.* Quod perinde est ac si scripsisset, expositionem suam ex earum numero esse, quæ sensum non eruunt ex Scripturis sed in easdem inferunt. Quam temeritatem quomodo cũ *Hilarii* notissimo monito, *de dictorum sententia exspectanda potius ex dictis quàm imponenda, & referenda magis quàm afferenda* (uti *lib.* 1. *de Trinit.* loquitur) conciliaturus sit, ipse viderit. Nos interim quæ ad defensionem ejus congesserit videbimus.

L. Horum autem potior pars, missis heterogeneis, ad quatuor capita in genere nec minus cõmodè revocatur, atq; spectat 1. Sensum mysticum à literali distinctum quem extollit & commendat. 2. Titulum *Cabbalæ Philosophicæ*, & authoritatem istorum, quorum illa testimonio nititur. 3. Numerorum mysteria, quæ sectatur. Denique 4. Authoris in omnibus hisce mentem & scopum. Singula, totidem sectionibus distincta, brevi examine prosequemur.

Sectio I. De sensu Scripturæ mystico.

Quoniam cuivis expositionem illam Morianam vel obiter inspicienti

cienti patet, eandem procul à litera discedere atque authorem (uti de Origene Hieronymus) *tota ingenii sui vela spirantibus ventis dare & recedentem à terra in medium pelagus aufugere* speculationibus plus quàm metaphysicis; haud difficulter hinc colligitur quid is de litera Mosis & sensu mystico censeat. Quam sententiam suam exposuit dilucidè atque asseruit sub finem potissimum *Introduct. ad Defens.* ubi regula tertia quam Mosen enarraturo præscribit hæc est: *quod res naturales, personæ, conatus & actiones, declaratæ vel dicta in Scriptura, admittant quoque sæpiùs sensum mysticum moralem aut allegoricum.* Id, ait, dignum esse probatione, *cùm animas nostras propius spectet.* Operæ pretium vero fuerit audire, quomodo eam instituat. *Scio* (inquit) *sensum spiritualem æquè terrori esse quibusdam languidis & incredulis ingeniis ac spectrum vel larvam noctu occurrentem. At hoc apud Judæorum Doctores, qui sapientia, pietate, ingenio præ cæteris eminent, in confesso est. Instar omnium Moses Ægyptius, qui divina oracula* pomis aureis in argenteis figuris, *comparat. Externus enim nitor admodum elegans est, uti argentum artificiose sculpturis ornatum. Sed internus spiritualis aut mysticus sensus, aurum est magis pretiosum & eximium, quod emicat per istas artificiosas in litera sculpturas. Id quod etiam locis Scripturæ probatur: Psalm. 25.* סוד יהוה ליראיו ובריתו להודיעם *Quorum verborum hic sensus facilis & genuinus:* Secretũ Domini timentibus eum & fœdus ejus ut indicet eis istud, *sc. secretum suum. Unde infertur, quod mysterium Dei non jaceat denudatum oculis falsis & adulterinis, sed absconditum & tectum sit convenienti velo à conspectu vulgi & hominum carnalium. Quod secretorum ejus talis sit ratio, ut de istis dici queat quod Aristoteles de suis scriptis Acroamaticis,* ἑωθινὸς περίπατος *dictus, quod nempe essent* ἐκδεδομένα καὶ μὴ ἐκδεδομένα publicata & non publicata. *Utiq; nec Christus margaritas porcis objecit. Ad eos qui extra erant per parabolas verba faciebat. Et ex eodem principio, ne hilum quidem à ratione alienum, Mosen quoque typos & allegorias scripsisse. Fundamentum huic assertioni* 1. *Cor. X.* 11. ταῦτα δὲ πάντα τύποι συνέβαινον ἐκείνοις. *Sic Gal. IV.* 24. ἅτινα ἐστιν ἀλληγορούμενα. *Multæ sunt historiæ V. T. quæ si nil præter historiam significant, vel aliquam spiritualem veritatem involvunt, tantum aberit ut ad pietatem excitent, ut mala exempla futura sint deceptorum fallaciis confirman-*

mandis. Facile quis se Israelitam putabit & proximum tanquam Ægyptium circumveniet. Quid Jacob? supplantator, deceptor, callide jus primogenituræ præripiens. Quam aperta delusio Rebeccæ subornantis Jacobum, dum Esavus *venatum abierat, quò benedictionem præriperet primogenito à patre destinatam? Jacobi virgæ malum exemplum servis ad decipiendos dominos. Rachelis furtum etiam mariti judicio condemnatum. Gen.* 31. 32. *Jahelis primo aspectu perfida crudelitas Judic.* 4. *& factum non approbandum nisi respectu mysterii quod sub eo latet.* Quæ omnia licet *Cabbalam moralem* imprimis spectent, ubi allegoriis uberiùs indulget, ad *Philosophicam* tamen quoque referuntur, cùm & ibi harum sunt vestigia expressa, scopus etiam authoris sit ex hac hypothesi concludere, in historia creationis typos itidem & allegorias latere, quas jure optimo eruere sit conatus, ultra sensum literalem ad vulgi captum à Mose evidenter accommodatum diligentiori scrutinio assurgens, quò sensum præterea Philosophicum & moralem inveniret, aut inventum aliunde applicaret.

At verò, non una demum responsio in promtu est, quâ facile ostenditur, si vel omnia ista largiamur, nihil tamen inde probari. 1. Extra controversiam est, multa quæ in V. T. potissimum narrantur esse ἀλληγορούμενα & aliorsum respicere, seu habere sensum compositum ex historia & typo, prout illa docent quæ in N. T. explicata sunt. Verùm inde non sequitur, si id locum habeat in nonnullis, ideo etiam ubique obtinere, quamlibet V. Testamenti paginam aut narrationem historicam id pati. Nam ipse D. Morus contentus fuit asserere, id *sæpiùs* fieri. Et certum insuper, si quis ad omnia, genealogias quoque, id vellet transferre, Valentinianorum æonas necessariò esse reducendos, nec ullum delirandi modum aut finem fore. Investigandum ergo prius num in hâc vel illâ historiâ vestigium alicujus allegoriæ, ex circumstantiis singularibus vel repetita alibi narratione & applicatione ad sensum mysticum facta, appareat. Sic evidens quod in libris propheticis V. T. parabolarum genuina sit sedes, in omnibus etiam vaticiniis & actionibus propheticis, quæ magno numero in N. T. explicantur & applicantur. Ubi tale vestigiũ apparet, ibi tutò, cautè tamen, progredi licet. Ubi non, periculosũ est nudo suo judicio vel aliorum etiam opinione niti. Multas eam in rem

rem regulas præscribunt Theologi, quarum nonnullas videre est apud *Chamierum Panstrat. lib.* 15. *de sensu Scripturæ cap.* 1. & *Hyperium lib.* 2. *de ratione studii Theologici.* Imò cùm allegoria distinguatur à typo, major adhuc in allegoriis cautio adhibenda, cùm in istis & faciliùs & periculosiùs erretur. Itaque speciatim D. Moro fuerat probandum, necessitatem aliquam requirere ut in historia Creationis à litera abeamus, vel saltem aliunde evidens esse Mosen hic speculationes metaphysicas aut morales intendisse, quod tamen haud factum. Non sufficit, quod Judæi id dicant, quod Philo eam expositionem secutus sit, quod in Pythagoræ & Platonicis dogmatis tale quid reperiatur. Imò ne quidem satis est, dicere, *argumentum capitis esse Philosophicum, adeoque indignum videri sapientissimo genio Mosis, eum non sub externo contextu hujus narrationis selecta quædam theoremata Physica & Metaphysica intendisse, quorum, mediante quadam Cabbala occulta seu doctrinâ traditivâ ad textum applicandorum, pii & docti ejus successores essent capaces futuri.* Nam nec ipse D. Morus satis certus est, *num Moses voluerit philosophari? Defens. pag.* 183. De quo mox Sect. 2. pluribus. 2. Sensus mysticus literali haud est opponendus, sed cum eodem componendus. Fundamentum allegoriæ litera esse debet, imò pars literæ ipsa allegoria est. Quorum prius ne quidem isti negant, qui maximè circa hunc sensum mysticum delirant. Lubet id insigni confirmare exemplo. *Guilielmus Alabaster* Anglus, homo fanaticus & mirâ vertigine laborans, ante annos complures *Spiraculum tubarum* edidit, ut vocat, seu *Fontem spiritualium expositionum ex æquivocis Pentaglotti significationibus.* Qui liber nil aliud est quàm Compendium Lexici Schindleriani, eum in finem ab authore in lucem emissum, ut inserviret multiplici Scripturarum sensui investigando, secundùm varias cujusque vocis significationes. Huic idem *præfationem* præfixit, adeo refertam audacissimis commentis, ut vix credendum sit, potuisse tale quid ab homine sani cerebri provenire. Sic enim pro sensu spirituali Scripturæ adversus sensum Grammaticū disputat, ut non credam repertum fuisse unquam hominem delirum & fanaticum, qui in pervertendis Scripturarum sensibus adeo se Roscium præstaret. Ille ipse tamen etiam ubi pro sensu Grammatico abolendo maximè pugnat, cum maximè adstruit. Disputant Philo-

logi

logi de punctorum vocalium & accentuum antiquitate, & vix eam ultra Esræ tempora asserere valent. Hunc verò hominẽ miræ sagacitatis si sequamur, argumento apodictico evinci potest, eadem jam temporibus Jesaiæ Prophetæ fuisse. Ita enim locum notissimum Jes. III. 18. & seqq. ubi Propheta in luxum mulierum Judaicarum invehitur, ceu prædictionem de sensu Grammatico tollendo, mirum in modum ad puncta & notas Grammaticas detorquendo exponit *pag.* 10. *præfat.* citatæ. *Die illa* (inquit) *removebit Dominus decorem* reflexionum, *& ponitur sub illa voce accentus Darga similis circunflexo,* & ocellaturas, *precedit Tebhir oculo similis,* & lunulas, *antecedit forma lunæ,* & stillationes, *apponuntur tria puncta perpendicularia,* & resolutiones, *dages in medio* ש, *resolvens literam,* & locomotiones, *soph pasuk docet migrandum ad sententiam aliam,* & mitras, *mem finale* ם *instar mitræ,* & passus ambulantium, *infigitur paschta in ultima litera,* & conspirationes sensuum *h.e. Sakephkaton, qui facit minimas consensiones & quasi conspirationes verborum. Et* domos respirationum, *formam scilicet parenthesis. Et* sermonis submissiones, *apponitur* (:) *signum sententiæ finiendæ. Et* connaturalitates *seu* conformitates *sensuum, subest Tharka, docens relationem ad versum superiorem,* & monilia *sensus ulterioris, merca qui copulat instar monilis, Et* separationes *vocum appendicum à radice. Paschta super* מחלצות. *Et* copulationes *accentuum,* המעטפות, *duo accentus simul junguntur in eadem dictione Munach & sakephkaton. Et* conformationes, *Tarka,* stylos Scribarum *h.e. puncta vocalia &* גליונים volumina *vel* mẽbranas *i.e. commentarios, &* sindones *eorum vel apertoria textus. Et* hinnitum *eorum, scilicet in pronunciando, &* minutas explicationes *vocis, velut laminas.* Quem locum integrè adscribendum existimavi occasione datâ, quò audaciam hominis juxta mecum mirentur omnes & ferax nugarum ingenium, quotquot hoc ejus somnium cum textu Hebræo conferent; pateat etiam, quid ab istis in Scripturæ explicatione sit expectandum, quibus sensus Grammaticus sordere solet, & quomodo seipsos jugulent. Disputat adversus sensum Grammaticum, quem vult penitus abolendum, & tamen ipsemet sensum, quem Prophetæ affingit, ex Grammaticæ penetralibus arcessit. Ergo ne quidem sensus mysticus excogitari potest aut debet, quin ad literam exi-

gendus

gendus sit. Adeoque quatenus cum eâ convenit, sive Grammaticè sive Rhetoricè, si scopus verborum & tota contextus ratio ferat, pars sensus literalis est. Itaque nec debuisset D. Morus sensum mysticum huic opponere, illum extollere, hunc tanquam vulgo saltem erudiendo servientem deprimere, multò minus triplicem nobis fingere sensum & Cabbalam. Habet quidem quos sequatur. Sed eos ita sequitur, ut quid peculiare nihilominus sectetur. Inter istos *Johannes Picus Mirandulanus*, lumen Italiæ ante duo secula, *septemplici sensu* historiam creationis exposuit in *Heptaplo* suo, Basilium & Augustinum, ut scribit, imitatus, quorum tamen neutrum imitatur. *Augustinus* verò *lib. de utilitate credendi c.* 3. *quadruplicem* posuit modum Scripturam V. T. explicandi, *secundùm historiā, secundùm ætiologiam, secundùm analogiam, secundùm allegoriam*, idemque repetiit *de Genesi ad literam imperf. cap.* 2. ubi *secundùm etymologiam* legitur pro *secundùm ætiologiam*, sensu eodem. Atque ita etiam ab Ecclesiæ Romanæ Doctoribus, præter literalem, sensus allegoricus, tropologicus & anagogicus defenditur, haud dubio ut suis & Pontificum suorum exegesibus patrocinentur. Nam quando *duo luminaria magna* Innocentio III. sunt *pontificalis authoritas & regalis potestas c. Solicitæ*, de *major. & obedient. lib.* 1. *decretal. tit.* 33. & Bonifacio VIII. *Ecce duo gladii hic*, idem est quòd, *in ecclesia potestate est spiritalis & materialis gladius*. it. *converte gladium tuū in vaginam*, significat, *in potestate Petri temporalem gladium esse*, denique *in principio creavit Deus cœlum & terram*, denotat, *quòd unica tantum suprema potestas à Deo ordinata sit in Ecclesia*, quia dicitur *in principio* non *in principiis*, uti habetur in *c. unam sanctam tit.* 8. *de major. & obed. lib.* 1. *Extravag.* meritò istos sensus *tropologicos* censemus, quoniam mores illorum ad vivum exprimunt, *allegoricos*, quoniam de aliis dicuntur quàm quibus conveniunt, *anagogicos* denique, quoniam revera *in altum ducunt*, ex mente saltem cujusdam *Panigarollæ*, cui *duc in altum* Luc. 5. idem erat quod *vade Romam*, uti *Chamierus l. c.* refert. Alii tamen *triplicem* statuunt Scripturæ *sensum, literalem, mysticum* & *moralem*, quem denotari per tres coronas in insignibus Academiæ Oxoniensis conjicit *Brianus Twynus Antiquit. pag.* 201. Hos inter familiam ducit *Origenes Hom.* 2.

in Gen. ubi ex tricameratis in arca Noë id exsculpit, & *Hom.* 11. ubi de puteo visionis Gen. 25. 10. eodem modo ἀλληγορεῖ. Quin & *Hom.* 5. *in Levit,* ubi, mirâ sanè allegoriâ, tres illos sensus vult significatos per tria instrumenta quibus sacrificia parabantur, nempe clibanum, sartaginem & craticulam, it. per tres panes in canistro perfectionis Lev. 8. ℣. 26. 31. & per tres panes quorum mentio Luc. XI. 5. Imò ex professo *lib.* 4. περὶ ἀρχῶν *cap.* 2. ubi locum *Prov.* XXII. 20. urget, ac duas vel tres metretas Joh. II, 6. quoque huc rapit. Origenem sequitur *Hieronymus* & triplicem istam exponendi rationem inculcat in *Epistola ad Hebidiam*, sub. fin. ut & *Comment. in cap.* 16. *Ezech.* & *in cap.* 4. *Amos.* Ubique ceu fundamentum substernens eundem locum *Prov. XXII*, 20. הלא כתבתי לך שלישים Quem Græci, quasi præceptum esset, καὶ σὺ δὲ ἀπόγραψαι σοι αὐτὰς τρισσῶς reddunt, atque eodem sensu Hieronymus & Origenes citant: *Tu autem scribe ea tripliciter.* Hanc sanè interpretationem ambiguitas vocis שלישים peperit, quam illi ex שלש *tres* derivarunt, cùm tamen omnis ratio Grammatica postulet, eandem ad שליש reduci, quæ vox *tribunum, ducem,* propriè *tertium*, sc. à Rege vel Principe, notat. Unde à *R. Levi Gersomiade* non malè per דברים נכבדים *verba honorifica* seu *insignia* exponitur. Meliùs certè quàm ab *Ab. Esra* fit, cui hæc dictio per שלשום explicatur, quasi *verba nudius tertius dicta* denotarentur. Omnium, quas vidi, optimè Gallica versio emphasin hîc exprimit, τὸ שלישים per metonymiam subjecti reddens: *choses convenables à gouverneurs* seu *talia quæ gubernatoribus conveniunt* in consiliis & scientia. Sic ut Salomon ad seipsũ respicere videatur, nilq; aliud velit, quàm se talia scripsisse quæ optimè illis qui alios consiliis & monitis regere intendunt cõveniant; monita etiã sua, reipsa *ductorũ* officium præstare, quibus sit fideliter obtemperandum, quorum cõsilio felicior in his terris militia obveniat. Nihil verò hinc pro sensu triplici, ne quidem si prior derivatio approbetur, sitq; τὸ שלישים idem quod *ter, vicibus tribus*, uti *Chaldæus interpres* transtulit. Notum enim quod numerus definitus pro indefinito sæpiùs ponatur. Et si vel κατὰ ῥητὸν accipiendum esset, quid vetaret, *triplicia* illa tum notare *legem, prophetas & hagiographa*, uti *R. Salomon Iarchi* opinatur? vel potius, tres libros Canonicos Salomonis *Proverbia, Ecclesia-*

cleſiaſten & *Canticum*? maximè, cùm argumentum duorum priorum conſiſtat potiſſimum במעצות in *conſultationibus*, hominum tam piorum quàm impiorum conſiliis & conatibus narrandis melioriquc conſilio dirigendis, poſtremi verò, בדעת *in ſcientia*, ſublimi videlicet theoria & prophetica ſtatus eccleſiæ delineatione. Verùm hæc de iſto loco obiter. Hieronymus (ut ad eum redeam) quamvis Origenem ſecutus, non tamen nimiam ejus verſùs allegorias propenſionem probavit, ſed præter alia ejus deliria, hanc quoque licentiam rejecit, nominatim *in cap.* 27. & 28. *Hieremiæ*, ubi eundem tanquam *allegoricum interpretem delirantem* notat, quòd ad cœleſtem Hieroſolymam promiſcuè transferat, quæ de terrena dicuntur. Quò etiam alludit, quando ita *in Epiſt. ad Pammach. & Ocean.* de iſtis ſenſui ſpirituali nimium deditis Origenis ſectatoribus ſcribit: *Peluſiotas nos appellant & luteos animalesque & carneos, quod non recipiamus ea quæ ſpiritus ſunt. Illi ſcilicet Hieroſolymitæ, quorum mater in cœlis.* Unde tandem evidenti indicio colligitur, cujus potiſſimum veſtigia D. Morus iſto triplici expoſitionis ſuæ filo legere voluerit. Origenes nempe eſt, quem in deliciis habet, quem *ὁλοκαρδίως devotū Chriſtianum & eruditum eccleſiæ patrem* nominat. *Defenſ. pag.* 188. Hujus veſtigia, tum in multis aliis, tum in ordine quoque expoſitionis ſuæ Cabbaliſticæ diligenter preſſit. Nam Hieronymus tropologiam ſeu ſenſum moralem allegorico vel anagogico præmittit. Origeni verò & noſtro Cabbaliſtæ is ultimus eſt. Pro ſpirituali quidem & myſtico, hic philoſophicum novo titulo ſubſtituit, nullo, ut mox patebit, jure. Verùm & iſte non caret myſteriis, quorum uſque adeo ſe ſolū epoptā jactat, ut in *Dedic. ad* D. *Cudvvorth* ſcribere haud vereatur, *ſe nullam videre rationem quo minus ab omnibus veritatis & pietatis amatoribus ſibi ob hoſce conatus Cabbaliſticos prolixè gratia debeatur, cùm in iſtis adeo evidenter ſacrum Trinitatis myſterium vindicarit, quod non ſit inventio pagana, ut ſecta quædam proterva quidem vellet. Oſtenſum enim eſſe dilucidè, à Moſe id originem ducere, non Pythagora aut Platone.* Videlicet non ſufficit, cauſam veritatis proditam Antitrinitariis hæreticis, uti infra ſuo loco oſtendam, ni gratiæ inſuper exigantur. Quid verò de iſto duce cenſuerint veteres quem D. Morus ſequitur, non commemorabo hìc prolixè. Quas

turbas libri ejus & pestifera dogmata, (translata ex gentilium placitis, ut non planè mentitus sit Porphyrius apud *Euseb. Hist. Eccl. l. 6. c. 18.*) in ecclesia olim dederint, notum est ex *Epistolis Paschalibus Theophili Alexandrini*, ex *Epistola Epiphanii ad Joh. Hierosolymitanum* & *Panario* ejus, *hær.* 64. ex *Epistolis Hieronymi ad Avitum*, ad *Pammachium*, *ad Pammachium & Oceanum*, *Apologiis* quoque *adversus Ruffinum*. Præsertim *infame opus* περὶ ἀρχῶν (uti *Hieronymo* dicitur *Epist.* 65.) à Ruffino translatum quos non motus excitavit? Nec *Eusebii* Cæsariensis *Apologia*, (falsò adscripta *Pamphilo martyri* à *Ruffino*, & quod mireris *Pico*, licet Pamphilum nihil scripsisse verius probarit ex *Eusebio Hieronymus Apolog.* 1. quàm *Picus* ex *Hist. Eccl. lib.* 6. Pamphilum esse istius Apologiæ authorem, quæ ejusdem libri *cap.* 32. *pro Origene & Pamphilo* scripta dicitur) nec *Ruffini* in Hieronymum *invectivæ*, nec Johannis Episcopi Hierosolymitani favor, nec *Pici Apologia* recentior, notam huic τῆς ὀργῆς ἐπωνύμῳ Origeni (quo epitheto à *Cæsario Dialog.* 3. notatur) inustam ullatenus eluere valuerunt, quin tantum isti ejusque allegoriis tribuendum sit, quantum Mythologo ἀκοὰς μὲν θέλγοντι, ψυχὰς δὲ οὐ τρέφοντι h. e. *aures quidem mulcenti sed non nutrienti animas*. ut idem doctissimus Gregorii Nazianzeni frater, l. c. optimè judicat. Quoniam ἀπὸ τῆς ἑλληνικῆς παιδείας τυφλωθεὶς τὸν νοῦν, δι' ὧν αὐτὸς ἠδίκηται, ἠδίκησε τοὺς πλείους h. e. *Græcis disciplinis occæcatâ mente, per ea quæ ipsi nocuerant, pluribus nocuit*, uti *Epiphanius in fine hær.* 64. loquitur. Quorum in numerum si Cabbalistam quoq; referamus, haud id fiet credo injuria. Cui tamẽ, exemplo magistri, etiam in historia Creationis, citra necessitatem vel evidentiam, sensus mysticos venanti, illud ejusdem *Origenis* opponimus ex *Hom.* 11. *in Numeros*. *Quid opus est in his allegoriam quærere, cùm ædificet etiam litera?* Annon gloria omnipotentiæ & sapiẽtiæ divinæ admiranda, æquè imò clariùs, ex litera elucet historiæ creationis, ac sensu ejusmodi Cabbalistico? Si quis de eo dubitet, *Basilii* legat *homilias in Hexaemeron*, & *Josephi Halli* eximias *Contemplationes*, nec dubito quin aliter sensurus sit. Allegorias & typos tanquam lumina orationis ad illustrandum & movendum commodè & cautè tam invenire quàm adhibere, nemo non laude ingenii, doctrinæ ac industriæ dignum censuerit. Sed eo devenire audaciæ, ut

tua-

tua & aliorum commenta Scriptori ſacro per vim obtrudas & primum teſtem veritatis ad falſum teſtimonium dicendum compellas, digna res eſt deteſtatione. Nequidem ipſe Origenes id auſus fuit, nec Philo, nec Cabbaliſtarum ullus. Adeoq; 3. omnia illa quæ pro ſenſu myſtico ſupra protulit, tribus verbis refelluntur. Ἀπροσ-διόνυσα ſunt, nihil inde pro Cabbaliſta ſequitur. Judæorum Doctores eum aſſerunt. Nec nos aut ullus ſanus negamus. Moſes Ægyptius eum pomis aureis comparat ex Prov. XXV. 11. Scimus, in *præf.* libri *Moreh Nevochim* id legitur, nec repugnamus, ut allegoria per allegoriam probetur. Arcanum Jehovæ timentibus eum Pſ. XXV. 14. Ergo myſteria ejus ab oculis vulgi abſcondita. Credimus quidem vulgus illiteratum etiam Dominum timere, nec ſatis benè Cabbaliſtam *in Introduct. Defenſ.* plebem Iſraeliticam ex gentilium moribus deſcripſiſſe. Et hoc tamen largimur, ſi vulgi nomine homines profanos intelligat. Chriſtus margaritas porcis non objecit. Parabolis ad vulgum uſus eſt. Nil verius. Unde nec à ratione alienũ Moſen τύπες ἢ ἀλληγορέμενα ſcripſiſſe. Docente Apoſtolo, nil certius. Multæ hiſtoriæ denique V. F. mala præbebunt exempla, ni ſenſum myſticum involvant. Etiamſi id fiat, præbebunt tamen, illis qui volent abuti, exemplis non regulis vivere. Sed ſit ita, quid tandem ex his omnibus concluditur? Ergo etiam hiſtoria creationis ſenſum ejuſmodi myſticum neceſſariò admittit. Ergo hunc, à literâ alienum, ex traditione Judæorum & gentilium per conjecturam inanem petitum. Negamus & ad cætera tranſimus.

Sect. II. De titulo *Cabbalæ Philoſophicæ.*

Hîc duo videnda imprimis. Cur 1. *Cabbalam*, & quidem 2. *Philoſophicam* vocarit? Eſt enim utrumque inſolens, Moſen à Chriſtiano datâ operâ per Cabbalam exponi & eandem Cabbalam vocari Philoſophicam. Imò opponi ſenſui literali & morali; Quaſi nec literæ, in textu cujus argumentum Philoſophicum eſſe ſupponitur, poſſet cum Philoſophia convenire, nec Ethica quoque ad hanc pertineret. Nempe τριχοτομία Origenica erat religioſè ſervanda.

Audiamus itaque 1. rationem tituli Cabbaliſtici reddentem Cabbaliſtam. Quæ in genere de nomine *Cabbalæ* tradit mitto. Sunt enim extra controverſiam & notiora, quàm ut exponi debeant, ex illis qui

de eâ re ex profeſſo ſcripſerunt, *Reuchlino*, *Buxtorfio*, in *Synagogâ* & *Lex. Talm. R.* קבל *Hottingero* in *Theſauro Philolog. Glaſſio Philolog. Sacræ p.* 302. *Merſenno* etiam *adverſus Deiſtas cap.* 7. aliiſque. Ea ſaltem quæ propius huc ſpectant notemus. Quoniam *Cabbala*, doctrinam quæ per traditionem recepta eſt, deſignat, *in præfat. Conject. Cabb.* exponit in genere, unde eam acceperit & cur potuerit etiam ſenſum literalem, *Cabbalam* vocare? Poſterioris hanc dicit rationẽ, *quòd ipſe ſenſus literalis non ſit adeo planus & determinatus, quin videatur aliquam traditionalem doctrinam aut expoſitionem requirere ad eũ ſtabiliendum.* Quod ſanè eſt omnia ad traditiones revocare. Ad prius verò tripliciter reſpondet. Primò quidem fatetur, ſe *Cabbalas* vocaſſe, *quaſi reipſa aſſecutus eſſet veram Cabbalam Moſis in unaquaq; illarum, talem nempe quæ ipſiuſmet ori potuiſſet convenire, ut eam ad inſtructionem proferret. Inde ad majorem convenientiam & ſolennitatem ſeſe ipſum Moſen induxiſſe loquentem.* Palpum ergo imperitis obtrudere voluit & ore Moſis perſonati lectorem decipere. Dein ſubjicit, *licet Cabbalam vocarit, hanc expoſitionem tamen nec ab homine nec ab angelo accepiſſe. Nec divina inſpiratione eandem ad ſe delatam, niſi* (ait) *quis eouſque ſapere velit, ut opportunas ſuggeſtiones divinæ illius vitæ & ſenſus, qui cum vigore quodam in rationali ſpiritu liberorum & Orthodoxorum Chriſtianorum reſidet, inſpirationem vocet.* Quæ certè enthuſiaſmum ſapiunt, etſi author eodem loco in illum invehatur, maximè ſi quis attendat ad ea quæ ſequuntur *de perfectione inchoatâ humanæ naturæ per participationem divinæ quoad intrinſecam humanitatem, nempe intellectum, rationem & imaginationem.* Tum etiam, ſi expoſitionem ſuam materialiter ſpectet, nec verba velit captare, falſum eſt, quod ab homine eam haud acceperit. Nam utique *in Defenſione Cabb.* paſſim fontes indicat, unde hæc hauſerit, nempe Judæorum & gentilium lacunas. Haud obſcurè etiam profitetur ex Carteſianis principiis ſe iſtas concluſiones deducere voluiſſe, *cùm adeo liberè ſe offerrent atque adeo aptè locum in textu occuparent, ut neſciverit, qui ullo judicio & conſcientiâ eas excluderet*, uti *Defenſ. pag.* 189. loquitur. Ideo denique verior eſt oratio, quæ paulò poſt *in* eadem *Præf. Conject.* ſequitur, hanc triplicem Cabbalam eſſe *dictamen liberæ rationis animi ſui, quo cautè admodum textum*

Moſis

Mosis consideravit & studiosè expositiones convasarit eorum interpretũ, qui in eundem communiter prostant. Num verò satis *cautè* textum Mosaicum consideraverit, ex progressu deinceps patebit. Id interim certum, eum sic convasasse expositiones interpretum, ut quoad pleraque deterioribus insisteret.

Sed spectemus 2. cur *Philosophicam* in specie vocarit hanc *Cabbalam*, in cujus examine versamur. Multa quidem eam in rem hinc inde disserit. Verùm summa huc redit, quia 1. de rebus Philosophicis, 2. ex traditionibus Philosophicis agit.

Primò supponit, quod jam aliquoties indicatum, Mosen in historia creationis præter sensum literalem ad captum vulgi evidenter accommodatum, alium Philosophicum in sapientiorum gratiam intẽdisse, ne Atheus putaret mundum nubibus alligatum & Deum sex dierum opere quasi penso in creatione mundi desudasse. Huc spectat, quòd in *Introduct. Defens.* urget istam Hebræorum regulam, *Loquitur lex juxta linguam humanam*, eamque exemplis probat ex Gen. 19. 23. Deut, 30. 4. 2. Chron. 4. 2. Psalm. 19. 5. Jos. 10. ℣. 11. imò etiam, nullâ libri Apocryphi habitâ ratione, ex Ecclesiastic. 27. ℣. 12. Licet hoc ultimum vel imprimis nil probet & mirum sit à viro Philosopho prolatum esse. Quod etiam regulam alteram interpretationis *ibid.* constituit, *in Scripturis, maximè tribus prioribus capitibus Geneseos, variam esse intertexturam Theosophicarum & Philosophicarum veritatum, plurima theoremata physica & Metaphysica iisdem verbis objici, quæ primo aspectu ordinarium saltem & crassum sensum ferre videntur.*

Ad quæ paucis respondemus. De thesi nullam esse in utroque quæstionem. Sed omnem controversiam in hypothesi versari, an hîc & nunc illud sit factum? num quas Cabbalista veritates obtrudit, illæ ipsæ sint? anne, ubi litera textus opinionibus nostris philosophicis repugnat, continuo ad istam regulam sit recurrendum, *loqui Scripturam secundum apparentiam & opinionem vulgi*? Imò, num ulla ratione tolerandum, quod veritas istarum opinionum Philosophicarum ex Cabbala quadam suspendatur, & sic Mosi tanquam genuina vel invito obtrudatur, uti à Cabbalista nostro factum? Quorum prius ex dicendis deinceps in specie patebit. Duo posteriora verò inju-

injuriam facere majeſtati S. Literarum meritò arbitramur. Multa præcedere debent, priusquam liceat vel ſuſpicari, ſermonem eſſe ſecundùm apparentiam, quæ à veritate rei diſcrepet, in locis ubi opera Dei vel ordinaria, vel miraculoſa, ex profeſſo citantur. Certa & evidens eſſe debet Philoſophica ſententia, euſque ut ne minimus quidem ſcrupulus remaneat aut à Sceptico poſſit moveri, antequam liceat opinionem ſuam diſertis Scripturæ verbis præferre & inferre, ad ſenſum aliò flectendum. Et ne tum quidem aliud dici poteſt quàm *forſan Scripturam ſecundùm apparentiam loqui*. Quoniam tanta eſt opinionum Philoſophicarum, præſertim de mundi hujus compage & multis Aſtronomiæ partibus, incertitudo, ut etiam in iis quæ nobis evidentiſſimè videmur aſſecuti eſſe, quæ ratione & experientia confirmantur, non abſit ſuſpicio erroris. Objecta enim ſunt diſcernenda. Non ideo Deus deceptor, ſi in multis, etiam quæ clariſſimè videmur nobis percipere omni curâ & ſtudio adhibito, tamen opinionibus fallamur. Mentem id tantum finitam arguit, nunquam, dũ corpori arctiſſimè unitur, ſic liberandam præjudiciis omnibus, & illis, ut ita loquar, mentis teneræ à primâ educatione, minus ferè curioſa, flexuris, ut poſſit ad quævis, etiam in rebus ſaltem naturalibus, penetrare atque de illis tutò pronunciare. Si deficit in talibus quisquam, ſi erroris arguitur, etiam quando ſe putat rem evidentiſſimè cernere, monetur ſaltem ut hominem ſe eſſe meminerit, nec quodcunque objectum intra ſphæram activitatis ſuæ rapiat veluti comprehenſurus. Sunt viæ Dei etiam in rebus naturalibus imperſcrutabiles. Non fruſtra is cum Jobo, magno dubio procul Mathematico & Philoſopho, eo nomine expoſtulat. Tutiùs quædam miramur quàm rimamur. Modus ſcrutinio figendus eſt, vel ſaltem nihil in talibus determinandũ. Cõmendat ſuas hypotheſes Philoſophus, quòd phænomenis naturæ ad unguem ſatisfaciant. Meminerit hypotheſes tantùm eſſe, quæ veritatem poſſibilem contineant. Meminerit quoque, magnum adhuc eſſe defectum obſervationum in ejusmodi phænomenis, poſt tot ſeculorum experientiam, arguentibus id novis indies repertis teleſcopiorum beneficio, v. g. maculis Solis, Jovis ac Saturni ſatellitibus, & ſimilibus, quæ *Galilæo*, *Scheinero*, *Hevelio*, aliisque debentur. Antiquorum hypotheſes correctæ fuerunt

per

per recentiores, & hi forsan à posteris corrigentur. In tantâ observationum incertitudine, de summa rei velle pronunciare, improvidæ temeritatis est. Ad inquisitionem tantorum una ætas non sufficit, ut tota cœlo vacet. An vera sint, Deus scit cui est scientia veri. Nobis rimari illa & conjecturare in occulto tantum licet, nec cum fiducia inveniendi, nec sine spe. Neque enim omnia Deus humanis oculis nota fecit. Pusilla res mundus est, nisi in illo quod quærat omnis mundus habeat. Rerum natura, sacra sua non simul tradit. Initiatos nos credimus, in vestibulo ejus hæremus, juxta verissima *Senecæ* effata *lib.* 7. *Quæst. Nat.* Itaque si in ejusmodi, Theologus literam Scripturæ urgeat & sequatur, frustra opponet Philosophus, ea tantùm *secundum apparentiam* dici, quoniam plus veritatis & certitudinis in tali apparentiâ esse videtur quæ divino testimonio confirmatur, quàm in omnibus rationibus philosophicis quibus hypotheses solent stabiliri. Magis verò peccabit, dignus propemodum explosione, si Cabbalistam nostrum sequatur atque ad traditionem quandam Philosophiæ Mosaicæ ad Pythagoræos & Platonicos delatam velit recurrere, quoniam nil in eâ certi, vel ad conjecturam, ut jam videbimus.

Nam *Secundò* id Cabbalistæ fixum, Pythagoram & Platonem Mosaicam philosophiam à Judæis accepisse atque asseclis suis tradidisse, à quibus ipse jure quasi postliminii eandem repetierit, meritò indigitandam nomine *Cabbalæ Philosophicæ*, quòd à Philosophis istis primùm esset accepta & jam recepta. Prius ut probet, multa de Pythagora, Platone & Plotino potissimùm profert in *Præfat. Defens.* & ipsa *Defens. pag.* 184. & seqq. ubi *dignitatem* horum Philosophorum extollit. Summa eò redit 1. Pythagoram *stupenda mensura scientiæ & sanctitatis præditum eandem ex conversatione cum Judæorum Prophetis hausisse. Nam à Judæis Philosophiam suam eum mutuatum esse multorũ veterum testimonio confirmari apud Clementem Alexandr. Josephum contra Apionem* &c. *Addere Ambrosium, quod Judæus fuerit. Clementem, quod Ezechielem habuerit præceptorem multos putare. Cui licet ipse Clemens fidem non adhibeat, eruditum Antiquarium tamen Seldenum lib.* 1 *de Jure naturali non refragari, quominus vera hæc opinio putetur. Porrò à Jamblicho narrari, quòd Pythagoras Sidone vixerit,*

ubi familiaritatem contraxerit cum Prophetis & successoribus Mochi cujusdam Physiologi, ubi pro Μώχυ *legendum* Μώσεως *juxta Seldeni ingeniosam conjecturam. Ex quo planum, Pythagoram Philosophiam suã à Mose habuisse. Et cum Philosophia, quæ in hodiernum diem tanquam Pythagorica agnoscitur, adeo aptè textui possit continuâ serie applicari,* quodnam(inquit) *majus argumentũ desiderari potest, ut probetur, quod hæc vera Cabbala textus Mosaici sit?* Addit tamen *miracula à Pythagorâ patrata* ex Porphyrio & Jamblicho. *Quod à flumine salutatus* χαῖρε Πυθαγόρα, *quod femur ejus aureum apparuerit, quod eadem die amicis adfuerit Metapontii & Tauromenii, terræ motus prædixerit, vẽtos & tempestates sedarit, per aërem vectus sit.* De quibus Cabbalista *Defens. p.* 186. *videri, quod non solùm Mosaica theoria initiatus sit, sed etiam potestatem miracula patrandi ut Moses aliique Prophetæ acceperit.* Et *Præfat. Defens. p.* 86. *admodum id conveniens videri providentiæ divinæ, ut Pythagoras post acceptam noticiam sanctæ istius Cabbalæ quæ Adamo & Mosi à Deo communicata, miracula quoq; patraret. Hoc enim medio veritates istas altiores inter Philosophos Græcos radices egisse. Raptum ejus per aërem neutiquam eum suspectum reddere Magiæ cum similia sint passi Habakuk & Philippus Act.* 8. Imò non veretur eũ cum sanctissimâ Virgine Deiparâ comparare. *Quod sectatores* (inquit) *Pythagoræ in eo peccarunt* (nempe dum jurarunt indirectè per Pythagoram) *id non magis ipsi imputandum, quàm superstitiosus Virginis Mariæ cultus eidem verti potest vitio. Præf. Defens. p.* 85. 2. *De Platone & Plotino minus laborandum, cùm eorum Philosophia eadem fuerit cum Pythagoricâ adeoq; æquè applicabilis ad textum Mosaicum. Platonem Mosaicis literis imbutum testari Aristobulum apud Clementem, Ambrosium, Hermippum apud Josephum contr. Apion. & Numenium, cujus dictum:* τί γάρ ἐστι Πλάτων ἢ Μωσῆς Ἀττικίζων h. e. *Quid Plato nisi Moses Atticus? Plotinum quidem non usum Judæis magistris, familiarẽ tamen fuisse Origeni, cujus authoritatem juxta cum universali consensu doctiorum inter Judæos velit quoque pro se citare Defens. p.* 188.

Ad quæ omnia respondemus breviter 1. Multa in his esse ambigua & incerta. 2. Si vel vera sint, non tamen inde sequi, hanc veram esse traditionem Mosaicam, quam dogmata Pythagorica & Platonica referunt.

1. Licet haud dubitandum, Pythagoram & Platonem in noticiam eorum, quæ apud Judæos mysteria erant, venisse, tamen de circumstantiis hujus adventus & præceptoribus eorum non constat, nec eadem ab omnibus, præsertim de *Pythagora*, narrantur.

Hunc *ex populo Judæorum genus duxisse* putat quidē *Ambros. lib. 5. Epist.* 20. & ait *plerosq; ita arbitrari.* Non tamē ullâ ratione id *ostendit*, ut non immeritò memoriæ hîc diffisus sit *Marsilius Ficinus lib. de Christ. relig. c. 26.* locum hunc respiciens. Hinc, quoniam ex Laërtio parens notus est, nempe *Mnesarchus* Annulorum sculptor seu cælator, (quem *Justinus lib. 20. c. 4. Demaratum* negotiatorem vocat) & nomen pariter ac opificium, parùm convenit Judæo; vix dubitandum, quin ista conjectura unicè nitatur illorum traditione, qui referunt Pythagoram circumcisum fuisse, uti à *Clem. Alex. lib. 1. strom.* & *Theodoret. lib. 1. Therapeutic.* factum. De quo tamen meritò videtur *Lipsius* dubitare *Manuduct. ad Stoicam Philosoph. l. 1. dissert. 6.* citante *Seldeno de Jur. Nat. l. 1. c. 2.* Qui frustra in contrarium urget, *Pythagoram cunctis Barbarorum & Græcorum mysteriis initiatum fuisse, juxta Laërtium, adeoque & hoc ritu Judaico.* Nam τελεταὶ (quâ voce *Laertius* utitur) juxta *Hesychium* sunt ἑορταὶ, θυσίαι, μυστήρια, h. e, *festa, sacrificia* vel *mysteria.* Ad nullum vero horum circumcisio satis commodè potest referri, nisi ad ultimum, quatenus omne *sacramentum* rationem alicujus *mysterii* obtinet. Unde hæ voces promiscuè à Patribus priscæ Ecclesiæ usurpantur. Dici etiam potest, necessariam fuisse Pythagoræ circumcisionem, ut tanquam proselytus justitiæ ad interiora istorum mysteria admitteretur. De quo nolim cum quoquam contendere. Quamvis eodem jure dicendum, quod baptizatus quoque fuerit. Vid. insignem *Disput. de Proselytis*, Venerandi Præceptoris mei, usque gratâ mente colendi D. *Jac. Altingii*, Theologi apud Groninganos celeberrimi *th. 32.* Ut taceam, circumcisionem aliis quoque gentibus usitatam fuisse nominatim Ægyptiis, Idumæis, Ammonitis, Moabitis & Ismaelitis, uti *Hieronymus in cap. 9. Jeremiæ* & *in cap. 5. ad Galat.* testatur, & Muhammedanorum hodiernus mos probat. Quâ ratione Pythagoras in Ægypto potuit circumcidi (quod asserit *Cl. Alex. l. c.* propter istorum Sacerdotes factum, ut adyta ingrediens, Ægyptiorum mysticam phi-

philosophiam addisceret) vel apud alios, si vera sit isthæc traditio, & ne quidem conversatio ejus cum Judæis tum exinde sequitur.

Prout verò genus, sic & *ætas Pythagoræ* controvertitur. *Tatianus Assyrius in Orat. contra Græcos* vult Pythagoram natum circa *Olympiadem* ξβ seu LXII. eumque citat & sequitur *Clem. Alexand. lib.* 1. *Strom.* quamvis non æquè strictè, ut tum demum natum dicat. Hæc autem juxta accuratiorem *Calvisii* ac *Helvici* calculum, qui Scaligerianam emendationem sequuntur, incidit in exitum regiminis Cyri, consentientibus etiam aliis Chronologis, nominatim *Funccio* & *Bucholzero*. In quod tempus quoque, regimen Tarquinii superbi (juxta eosdem) cadit, quo regnum obtinente, Pythagoras in Italiam venit, uti narrat *Cicero lib.* 1. *& 4. Tuscul. quæst.* ac post eum *Gellius lib.* 17. *c.* 21. Quod tamen *Livius l.* 1. *c.* 18. tempore Servii Tulli factum dicit. Nec multum abit *Laertius*, qui cum Olympiade LX. ait floruisse, cui adstipulatur *Vossius de Hist. Græc. lib.* 4. *c.* 2. Quâ ratione annis ferè XL. junior esset, quàm Tatianus & Clemēs censent. Nam insuper, post quinquagesimam demum Olympiadē eum in Italia floruisse, author est *Dionys. Halicarnass. lib.* 2. ubi istos ex temporum ratione refellit, qui scribunt Numam Pompilium Pythagoræ discipulum fuisse, quod figmentum etiam *Livius* l. c. rejicit. A quo tamen non multum abest *Clem. Alex.* quando l. c. Numam *Pythagoræum* vocat, & iis quæ à Mose tradita sunt in prohibendis imaginibus adjutum scribit. Dedit autem huic fabulæ forsitan quoque occasionem vel incrementum, quòd eodem tempore quo Numa ad regnum adscitus, nempe *Olymp. XVI.* clarum erat nomen *Pythagoræ Lacedæmonii*, qui stadium vicerat, de quo *l. c.* idem *Dionysius.* Is enim facilè potuit ob nominis similitudinem cum Pythagora Samio Philosopho confundi, præsertim cùm inter quatuor Pythagoras, qui eodem ferè tempore floruerunt, pugil quoque fuerit insignis idemque *Samius*, alius quidam *Pythagoras*, gemino epigrammate apud *Laertium* laudatus. *Patricides* Patriarcha Alexandrinus, in Chronico Arabico apud *Seldenum l. c. pag.* 21. Pythagoram ad tempora Artaxerxis Mnemonis refert, adeoque integro seculo recentiorem constituit, quàm cæteri. Ad quos propius accedit alter Historicus Arabs *Abulfaragius* (à V. Cl. D. *Pocokio*, ante paucos annos, post lu-

culentum

culentum *Specimen* dudum ex eo datum, integrè editus) *pag.* 55. *Historia Dynastiarum* scribens; *Pythagoram sapientem tempore Darii Hystaspis obiisse annos natum nonaginta quinque.* In quo peculiare quid habet. Nam cæteri aut annos 80. vel 90. aut 104. aut 117. Pythagoram vixisse narrant, quos vide apud *Seldenum l. c. pag.* 22. Propius inquam accedit, quoniam annus primus Darii Hystaspis (juxta *Helvicum*) incidit in annum ultimum *Olymp. LXIV.* ultimus verò in annum tertium *Olymp. LXXIII.* adeoque hæc narratio non multum differt à superioribus.

Nec minor quæstio est *de Præceptoribus Pythagoræ*, præsertim istis, à quibus mysteria penitiora hauserit. Apud *Apulejum lib.* 2. *Florid.* quondam legebatur, quòd inter alios *Platonem* sectatus fuerit, pro quo ὁ πάνυ *Casaubonus* Pater in *Not. ad Laert. pag.* 100. substituit *Solonem*, at *Vulcanius*, quoniam Epimenides poëta fuit, *poetã.* Verùm præter Philosophum, alius quoque *Plato* commemoratur apud *Laert.* ὁ τῆς ἀρχαίας κωμῳδίας ποιητὴς *priscæ Comœdiæ poeta*, verbis ultimis *lib.* 3. Quem *Apulejus* credi posset designasse, ni ætas obstaret ad tempora Aristophanis accedens, prout à *Suida* docemur. Unde Vulcanii emendatio potior est, quia Solon Philosophus minus cõmodè videretur inter duos poëtas locatus, ubi de studiis poëticis sermo est. *Laertius* præceptores Pythagoræ dicit *Pherecydem* Syrum & *Hermodamantem* Creophili nepotem. Queîs *Suidas* addit *Abaridẽ* Hyperboreum & *Zaretum* Magum. In Ægypto discipulus fuit *Sonchedis* archiprophetæ juxta *Clem. Alex. l. c.* Apud Chaldæos *Nazarati Assyrii*, juxta *Alexandrum* de Symbol. Pythag. apud eundem *Clementem*. Qui addit, quosdam putare hunc esse *Ezechielem* prophetam. Quos ipse refellit, *Seldenus* verò *Syntagm.* 2. *de Dis Syris cap.* 1. & *de Jur. Nat. pag.* 18. defendit. An satis benè, judicent eruditi. Saltem *Zaradas Plutarchi* in libro περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας, quem Seldenus vult eundem esse cum isto *Nazarato*, non præceptor sed discipulus Pythagoræ fuit, ni toto cœlo in versione aberraverit *Xylander*. Verisimile quoque, nominibus diversis *Zabrati* apud Porphyrium, *Zaretis* apud Suidam & *Nazarati* apud Alexandrum, eundem designari Magum *Zoroastrem*, de quo in *Exercitat. familiaribus* ex professo egit Doctissimus Antistes Ratisbonensis *Ursinus.* Quamvis

vis istis quæ *pag.* 24. de nomine *Zoroastris* tradit, quod vult ex Danielis cap. XII. 3. petitum, meritò prætulerim ea quæ Vir incomparabilis *Bochartus* habet in suo *Phaleg. l.* 4. *c.* 1. ubi id per ἀςροθεάτην exponit. Idem Zoroaster ab *Abulfaragio pag.* 54. temporibus Cambysis adscribitur, sub nomine *Zorodaschti Præceptoris sectæ Magorū, qui ex regione Aderbijan, vel juxta alios Assyriæ oriundus fuerit, dicatur etiam ex discipulis Eliæ Prophetæ fuisse,* (grandi satis aliquot seculorū parachronismo) *qui & Persas de adventu Domini & stella tum apparitura interdiu, in cujus medio conspiceretur figura puellæ virginis, docuerit.* Quæ fabula, ex vaticinio Bileami de stella Jacobi originem ducens, alias postmodum peperit, quarum summa legitur apud *Pet. de Natalibus Catalog. Sanct. lib.* 2. *c.* 48. Confer etiam V. Cl. *Spanhemii* Patris *Dub. Evang. P.* 2. *Dub.* 34.

Ex quibus colligimus tandem, præter famam dubiam, nil certi, de genere, ætate ac præceptoribus Pythagoræ Judæis, constare. Nec opus erat, ut miracula ejus & præstigias usque adeo extolleret & vindicaret Cabbalista, cùm *Silli Timonis* apud *Laertium* doceant, eum γοητείᾳ seu *magiâ insignem* fuisse, *Varroni* quoque *hydromanticus* sit, apud *Augustin. de C. D, l.* 7. *cap. ult.*.

De *Platone* verò jam supra actum fuit *pag.* 7. ac 27. & haud necesse, ut hîc pluribus id fiat, aut etiam *Plotino* aliquid detrahatur, cùm si vel vera sint omnia, nihil tamen hinc pro Cabbalista sequatur.

Nam 2. Ipsemet non audet diffiteri *Præfat. Defens. pag.* 83. quod isti Philosophi, quos ait hanc Cabbalam recepisse à Prophetis, propria sibi somnia & *stultas opiniones eidem admiscuerint, sive luxuriante ingenio, sive aberrante judicio.* Ex quo consequitur, omne illud à conversatione istorum Philosophorum cum Ægyptiis aut Judæis petitum argumentum , infirmum esse, pro veritate hujus Cabbalæ stabilienda. Quid enim, si illa, quibus Cabbalista insistit, ex istarum opinionum sint numero, vel saltem plus habeant scoriarum admixtum quàm auri? Unde contrarium probabit? Subjicit quidem, non magis id Cabbalæ quoad substantiam obstare, *quàm superstitiosæ opiniones & praxis quarundam Ecclesiarum in errore versantium obsunt solidis fundamentis Christianismi.* Sed quis non exceptionem adeo indignam Theologo miretur? Ergone utrinque eadem ratio est? Num fundamenta Christianismi quoque à traditione humanâ

pendent errori obnoxiā? Et anne somnia Philosophorum cum istis ullatenus sunt comparanda? Nego iterum, uti *pag.* 8. factum, legitimam esse argumentationem. Plato & Pythagoras quædam imò multa & præcipua à Mose vel Judæis hauserunt. Iidem hæc & hæc quoq; tradiderunt. Ergo Mosaica sunt, quibus sententia Mosis tutò exponi potest. Nam ex meris particularibus nihil sequitur. Si urgeat universalem consensum, etiam ecclesiæ Judaicæ, quoad præcipuas Cabbalæ partes; dicam, eum haud sufficere, quoniam error universalis non minus error est, & Judæorum Cabbala quoque, multum ex cōmixtione gentilismi in ejusmodi speculationibus est corrupta. Ex fonte impuro, aquam virginem nequicquam hauseris. Audiat Cabbalista Virum Doctissimum *Edvvardum Stillingfleet* eundemque amicum, (utpote à quo *vir doctus* & *judiciosus Philosophus* vocatur *Orig. Sacr. p.* 464. 468.) & sibi dictū putet. *Must those hungry Philosophers then* (de Philosophis Græcis Ægyptios adeuntibus nominatim Pythagora, in eodem libro *Orig. Sacrarum p.* 131. loquitur, cujus emphaticum stylum nolo versione meâ deterere) *become the only Masters of our reason & their dictates be received as the sense & voice of nature, vvhich they either received from uncertain tradition, or else delivered in opposition to it, that they might be more taken notice of in the vvorld? Must an* αὐτὸς ἔφα *be confronted vvith* Thus said the Lord? *and a fevv pitiful* symbols *vye authority vvith* divine commands? Et paulo pôst. *I may confidently say, the great gullery of the vvorld hath been, taking philosophical dictates for the standard of reason, and unproved hypotheses for certain foundations for our discourse, to rely upon. And the seeking to reconcile the mysteries of our faith to these, hath been that vvhich hath almost destroyed it and turned our religion into a meer philosophical speculation.* Aut Cabbalistam hæc spectant, aut neminem. Quis enim famelicos istos Philosophos sequitur eorumq; dictata ceu oracula naturæ recipit, quāvis ab incertâ traditione deriventur? Quis Pythagoricum αὐτὸς ἔφα cum divino sermone componit? Quis symbola Pythagorica adeo extollit? Quis denique Philosophica dictata, rationi tanquam aquilam præfert, & hypotheses gratis assumtas ceu fundamentum locat, quibus in discursu suo innitatur, studetque mysteria fidei cum istis conciliare? Omnis nempe labor Cabbalistæ in eo insumitur. Ideo adeò honorificè de istis gentilium Philosophis ad

ſuperſtitionẽ uſq; loquitur. Quis enim non vocet ſuperſtitionẽ, quod in *Præf. Defenſ.* de Pythagoræorum juramẽto uſq; adeo ſolicitus eſt. Quaſi magnopere noſtra intereſſet, num rectè vel ſecus illi fecerint. Mox dicit, in iſto juramento per τὸν παραδόντα τετρακτὺν intelligi *Deum* primũ authorẽ Cabbalæ. Mox verò addit, ſi vel intelligendũ de Pythagora, cur non haberi poſſit pro juramento civili vel aſſeveratione, cujuſmodi illa, Ioſephi per vitam Pharaonis & nobilium per honorem ſuũ jurantium? quamvis illico ſubjiciat, ſe non poſſe tamẽ hæc juramenta pro merè civilibus habere. Qui ita ſe torquet in conſuetudine Pythagoricâ defendendâ, is haud facile, cum Auguſtino, virtutes gentilium *ſplendida peccata* dixerit. Qui de diſcipulis Pythagoræ eouſque laborat, quid non pro magiſtro tentabit? Non mirum ergo, quod in eadem *Præf. Defenſ. p.* 84. *ſtupendam* nobis *menſurã ſcientiæ & ſanctitatis in Pythagôra* narret & *profundã* ejus *ſcientiam ac ſanctitatem* iteratò prædicet. Quod *p.* 88. ſcribat, Pythagorã ideo poteſtate miracula patrandi à Deo inſtructum fuiſſe, *ut eo aptius poſſet alios felices reddere.* Ipſe Pythagoras haud dubio, juxta Cabbaliſtam felix & beatus. De ſalute ejus non magis dubitandum, quàm de ſalute Platonis, qui Chriſto deſcendente ad inferos primus in eum credidit & ſic liberatus eſt, juxta fabellam, quam ex Anaſtaſio Sinaita commemorat Vir omni laude major *Uſſerius in Reſp. ad Jeſuitam Hibernum p.* 307. aut de ſalute Ariſtotelis, pro quâ aſſerenda Colonienſes ſuos Theologos librum evulgaſſe refert *Agrippa de Vanit. ſcient. cap.* 54. Quâ veneratione ut Pythagorã, Platonẽ aliosq; Gentiliũ philoſophos Cabbaliſta proſequatur, licebit, dũmodo meminerit, quosdam *Pythagorizantes hæreticos* vocari ab *Origene in cap.* 7. *ad Rom.* & ab eodem *lib.* 5. *in cap.* 5. *ad Rom.* acriter & meritò corripi Baſilidẽ *quòd ſermonẽ Apoſtolicum in Pythagoricum dogma traxerit.* Facilè enim hinc dijudicabit, quantopere cavendũ ſit, ne propius ad iſtos accedat is qui ſermonem Moſaicũ in Pythagorę dogmata trahere nil veritus eſt, & in *Præf. Defẽſ. p.* 83. μετεμψύχωσιν Pythagoricã, quã rejicit, ad eã demũ reſtrinxit quæ *transmigrationẽ animæ humanæ in bruta* ſtatuit, haud obſcurè ſubindicans, ſe quoad alterã illã ſubtiliorẽ quâ animæ cenſentur ex uno corpore humano in aliud migrare, receptam inter Judæos ſub nomine גלגול נשמות & rejectã rationibus firmiſſimis ab eloquentiſſimo *R. Jedaja happenini* in כתב התנצלות ſeu *Epiſtola Apologetica*, cujus exemplar Mſptum habeo anno 1450. exaratum, ne latum quidem unguem à Cabbaliſtarũ veſtigiis diſcedere.

Sect. III. De Numerorum mysteriis.

Quoniam D. Morus facile poterat prævidere, meritò admiratio-ni futurum cunctis, quod in numeris dierum Hexaëmeri, symbola operum cujusque diei arbitratus sit latere: id quoque rationibus putavit asserendum, tanquam haud improbabile nec levi tantùm conjecturâ fultum. Hinc in *Præfat. Defens.* statim ab initio de eodem sollicitus est & geminâ utitur ratione ad hanc conjecturam stabiliendam, cujus pondus nunc ordine appendendum.

Prima, quâ probat *non videri improbabile, hanc antiquam Philosophiam Mosaicam numerorum mysteriis involutam fuisse*, hæc est. *Quia Cabbala de Creatione conservata fuit in manibus Abrahami & familiæ ejus, qui ob peritiam disciplinarum Mathematicarum (quarum Arithmetica pars necessaria est) primùm inter Chaldæos celebris, pòst Ægyptios easdem docuit, prout Historici testantur*, Præf. Defens. pag. 82.

Hic duo excutiamus necesse est 1. Antecedens & ea quæ supponit, 2. Consequentiam & id ipsum quod exinde deducit.

1. Quod antecedens spectat atq; hypotheses partim expressas, partim tacitas, videmus Abrahamum tanquam Mathematicū adeoq; & Arithmeticum apud Chaldæos & Ægyptios celebrem, Historicorū fide citari, atque supponi, Cabbalam de creatione in ejus & familiæ manibus conservatam, idque per numeros mysticos, quorum mysteria in familia Abrahami usque ad Mosen una cum studio hujus Arithmeticæ mysticæ servata sint. Quæ duo postrema non quidem exprimit, reipsa tamen, ut pòst videbimus, gratìs assumit. At verò 1. De studiis istis Mathematicis Abrahami nullum in sacris literis vestigium est, à quibus si discedamus, non dabitur in hoc negotio testis, cujus fidei possimus inniti. Id quod satis docent illa ipsa quæ de peritia ejus in disciplinis Mathematicis, nominatim Astronomia, Astrologia & Arithmetica quoque in specie narrantur. Ut hoc respectu quidem non opus habuerit D. Morus Arithmeticam tanquam partem ex toto demum colligere. Ita *Clemens Alexandr. lib. 6. Strom.* Philosophiam ejusque studium sigillatim commendans, Abrahami exemplo *Arithmeticam* effert æquè ac Astrono-

miam. Καθάπερ οὖν ἐπὶ τῆς ἀστρονομίας ἔχομεν ὑπόδειγμα τὸν Ἀβραάμ, οὕτως ἐπὶ τῆς ἀριθμητικῆς, τὸν αὐτὸν Ἀβραάμ. ἀκούσας γὰρ ὅτι αἰχμάλωτος ἐλήφθη ὁ Λώτ, τοὺς ἰδίους οἰκογενεῖς τιη ἀριθμήσας, καὶ ἐπεξελθών, πάμπολυν ἀριθμὸν τῶν πολεμίων χειροῦται h. e. *Quemadmodum ergo in Astronomia habemus exemplum Abraham, ita quoque in Arithmetica, eundem Abraham. Cùm enim audivisset abductum fuisse Loth captivum, trecentis & octodecim* (in versione Latina malè *trecentis* tantum legitur) *vernaculis suis numeratis egressus, maximum bellatorum numerum subegit.* Historia ex Gen. XIV. nota est. Ubi pro eo quod ℣. 14. in textu Hebræo legitur וירק את חניכיו q. d. *evibravit* vernaculos suos, seu adeo promptè ad pugnandum eduxit, ac gladius ex vagina educi vel hasta contorqueri solet, juxta analogiam locorum Ezech. XXVIII. 7. & Psal. XXXV. 3. aut si malis, cum plerisque Interpretum, *armavit*, ἐξώπλισε, uti *Cyrillus* quoque *lib.* 2. *Glaphyrorum in Genesin*, non adhærens vitiosæ versioni, transfert: Græci & Latina vulgata habent ἠρίθμησε *numeravit*. Ex quo satis evidens, quo jure *Clemens* hinc Abrahamum producat Arithmeticum, cùm in textu originali nulla numerationis fiat mentio, & eadem quoque absque magna Arithmetices peritia potuerit perfici. Quam tamen ut in Abrahamo exinde ostendat haud vulgarem fuisse, ipsius numeri vernaculorum grande mysterium verbis sequentibus pandit. φασὶν οὖν εἶναι τοῦ μὲν κυριακοῦ σημείου τύπον, κατὰ τὸ σχῆμα, τὸ τριακοσιοστὸν στοιχεῖον· τὸ δὲ ἰῶτα καὶ τὸ ἦτα τοὔνομα σημαίνειν τὸ σωτήριον. h. e. *Dicunt ergo, Dominici quidem signi typum quod ad figuram attinet esse elementum, quod significat trecentos*: ἰῶτα *autem &* ἦτα *significare nomen salutare.* Quo, subjicit, μηνύεσθαι seu subindicari, *eos esse Abrahæ domesticos quod salutem attinet, qui ad signum salutare & nomen Domini confugiunt, atque ab his infideles superari.* T apud Græcos figuram crucis commissæ habet & simul 300. in notis numeralibus significat. I autem & H duæ literæ initiales nominis Ἰησοῦς seu *Iesus*, numerum exprimunt 18. Inde ratio istius mysterii patet, quod aliis etiam inter Veteres hîc latere creditum, nominatim Ambrosio, Eucherio, Ruperto Abbati Tuitiensi aliisque, quos eam in rem citat *Drusius Quæst. Hebr. lib.* 2. *cap.* 21. Qui exinde rectè probat huc etiam respexisse *Prudentium*, quando *in Præfat. Psychomach.* scripsit:

Nos esse largè vernularum divites,
Si, quid trecenti bis novenis additis
Possint, figura noverimus mystica.

Nam id magis convenire videtur, quàm trecentos & octodecim Patres Nicænos ab eo indigitari, uti *Ioh. Sichardus in Notis h. l.* ob vestigia quædam vetustissimi exemplaris suspicatur. Verisimilius etiam est, quàm nova conjectura *D. Georgii Vechneri* S. Th. D. (noti ex *Opere Didactico Comenii* & eruditis *de Sinu Abrahæ* ac *Palo Pauli* Dissertationibus, quas edidit) in literis olim ad *Ernestum Andreæ*, Parentem meum p. m. datis Thorunii 10. Nov. 1645. expressa, licet satis ingeniosa videatur. *Quales* (inquit) *figuras militaris Tactica adsumat ex Æliano notum. Cogitavi hinc de figurâ trianguli mysticè spectatâ, in quâ trecentorum numerum reperiri docuerunt olim, qui numerorum mysteria secuti sunt. Si scilicet per puncta ab unitate, semper aucto unitate numero, descendatur ad latus usque quod XXIV punctorum numerum facit. Tale Triangulum mysticum esse judicatum est, complectiturq; in se numerum* 300. *in latere exhibet* XXIV. *Hunc ego numerum* XXIV. *à Prudentio spectari autumavi, ut* XXIV. *Libros V. T. quot numerari solent, pro vernulis subsidiariis agnoscendos significet in paginâ illa sacra. Iis porrò* XIIX. *sic agnoscere possumus accedere, si N. T. libros eo numero comprehendi cogitemus. Sc. Lucas & Acta, tum Johannes, ejus* Epistola *& Apocalypsis conjunguntur. His* 4. *accedunt* XI. *Epistolæ Paulinæ, tum Jacobi, Petri, Judæ* 3. *Sic conficiuntur* XVIII. Prudentium enim in eo communem aliorum traditionem secutum, vix dubitari debet. Quæ quidem aliquanto melior est quàm illa delirantis *Bar Kappara*, qui in *Bereſch. Rabb. Sect.* 43. de istis 318. vernaculis magistrali authoritate pronunciat אליעזר לבדו היה *Solus Eliefer fuit.* Si causam quæras, ex Gematria Arithmetica desumitur, quia literæ nominis אליעזר numerum 318. exactè reddunt. Non tamen solidior est ullatenus, cùm fundamento destituatur, quod à *Clemente* firmiùs fuerat locandum. Ut verò malè isti Abrahamũ *Arithmeticum* ex Scripturis eliciunt, sic non melius eundẽ nobis *Astronomum* alii sistunt ex loco Gen. XV. 5. ubi Deus legitur eum ad stellas contemplandas eduxisse. Quamvis enim id factum fuerit במחזה *in visione* prophetica, ℣. 1. & potiùs ignorantia

Abrahami in rebus Aſtronomicis hinc ſequatur, quod numerus ſtellarum quæ apparent ipſi incognitus fuerit, quem quilibet tironum Aſtronomiæ hodie novit referre: tamen quidam id eo traxerunt, quaſi Deus hoc ſimili præ cæteris ad ipſum *ceu Aſtronomum* uſus fuerit, quo innumerabilem ejus progeniem repræſentaret. Hinc *Cæſarius Dialog. 2. quæſt.* 108. Abrahamum in Scriptura ἀστρονόμον καὶ ἀστρολόγον vocari concedit, addens, quod non quidem coluerit ſtellas aut pro Diis habuerit, ἀλλὰ πρὸς γεωργίας καὶ ἐπομβρείας αὐχμούς τε καὶ χειμῶνας προσέχειν αὐτοῖς ὁ πατριάρχης πιστεύεται. *Sed* (inquit) *ad agriculturam & imbres, ſiccitates ac tempeſtates, eaſdem obſervaſſe Patriarcha creditur.* A quibus verò ? Judæis nempe, & qui illorum traditiones ſequuntur commenticias. Sic *Raſchi* ad l. c. ſcribit, ויוצא אתו החוצה ſenſu allegorico idem eſſe, acſi Deus dixiſſet Abrahamo: *Educi debes de Aſtrologia tua, quâ ex aſtris prævidiſti, nullum filium à te procreandum.* Fabulantur enim, Abrahamum Aſtrologum ex geneſi ſuâ perſuaſum fuiſſe de frigiditate ſuâ, quòd ſub ſigno frigido eſſet natus, ideoque Elieſerem Damaſcenum hæredem ſibi futurum allegaſſe. Hinc Deum, ut iſtum ſcrupulum leniter eximeret, Abrahamum ad contemplanda ſidera produxiſſe, atq; tranſtuliſſe Jovem ex occidente in orientem juxta locum Jeſ. XLI. 2. (ubi צדק ex dialecto Rabbinorum ipſis *Jupiter planeta* eſt) nomen etiam eidem commutaſſe, ut quod futurum fuiſſet in *Abramo* quidem, *Abrahamo* tamen haud eveniret. De quibus, ſi tanti eſt, Vide *Schotanum Bibitoth. Tom.* 1. *tract.* 4. *p.* 89. qui ea ex Rabbinis congeſſit. Quò etiam ſpectat ſimilis proſopopœia in *Bereſch. Rabb. Sect.* 44. ubi Deus inducitur his verbis Abrahamũ alloquens נביא אתה ואין אתה אסטרולוגוס *Propheta es, non Aſtrologus.* Iſta commenta non quidem perſequitur *Joſephus*, cautior in narrandis traditionibus, & doctior, quàm ut debuerit *homo indoctus & minimè exercitatus in Scriptura*, imò *brutus homo* ob rem levem vocari à Magno quodam Theologo in *Comment. ad Dan.* 1. 1. cui id judicium præceps excidiſſe doleo. Refert tamen *Antiquit. lib.* 1. *cap.* 9. quod Abrahamus Ægyptiis *Aſtronomiam & Arithmeticam* tradiderit. Idque *in cathedra publica* factum, tanquam ex Euſeb. de Præp. l. 6. c. 4. narrat R. Gedaliah in Schalſch. hakkab. apud Cl. *Hottingerum Smegm.*

pag.

pag. 301. Quod ſive apud Euſebium extet, ſive non, parùm ſanè veriſimile videtur. Citat verò Joſephum eandem in rem & hoc nomine Arithmeticam commendat *Rabanus Maurus lib. 3. de Inſtit. Clericorum cap.* 22. Verba quoque Joſephi propemodum totidem verbis reddit, idem commemorans *Zonaras*. Quæ licet incerta & dubia ſint, concedi tamen poſſunt, vel ſaltem fidei authorum qui ea referunt relinqui. 2. Extra controverſiam eſt, quod in manibus Abrahami & familiæ ejus Cabbala quædam fuerit ſeu traditio à Patribus accepta de ortu univerſi, diluvio aliisque rebus fidem & obſequium creatori debitum ſpectantibus, quodque is hanc doctrinam à Majoribus acceptam alios docuerit & ad poſteros tranſmiſerit. Hinc *Majem. Mor. Nevoch. P. 2. cap. 39. Docere ſolebat Abraham & per demonſtrationes ſpeculativas oſtendere, quod Mundus habeat Deum unum ſolùm, quod Is creaverit omnia alia, quæ extra vel præter ipſum ſunt, & quòd non ſit ſerviendum figuris iſtiuſmodi externis aut ulli creaturæ.* Verùm 3. quòd iſta doctrina vel ſub numerorum ſymbolis à majoribus fuerit accepta, vel ab ipſo Abrahamo, inſigni puta Mathematico, iisdem involuta, & ſic poſteris tradita & ad Moſen delata, uti D. Morus ſupponit, id non ſolum nullo ſcriptoris fide digni teſtimonio confirmatur, ſed & omni ratione caret. Abrahami enim tempore Arithmetica nondum extabat, ſi *Freculphum* Lexovienſem Epiſcopum audimus qui *Pythagoram Arithmeticæ artis inventorem* conſtituit *Chronici Tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 17. adeoque *primum numerorum harenarium*, uti *Tertull.* ſub fin. *lib. de pallio* loquitur. Sive etiam malumus credere *Platoni*, qui *in Phædro*, quendam Θεῦθ Deum Ægyptium πρῶτον ἀριθμόν τε καὶ λογισμὸν εὑρεῖν h. e. *primum omnium, numerum & logiſticam* vel *arithmeticam inveniſſe*, tanquam ab veteribus traditum, commemorat. *Theut* enim vel *Thoth* epitheton eſt *Hermetis* Ægyptii ſeu *Mercurii* Triſmegiſti, uti patet ex *Cicerone lib. 3. de Nat. Deorum* & *Lactantio*, qui hujus verba de eodẽ Mercurio citat *Inſtit. l.* 1. *c.* 6. De quo tot diverſiſſima nec minus incerta à plurimis traduntur, libri etiam ſuppoſiticii *Pimander* & *Aſclepius* ſub ejus nomine extant, (à quibus haud diverſus eſt is qui λόγος τέλειος ſeu *verbum perfectum* appellatur & citatur ab *Auguſtino* in *Orat. de quinque hæreſ. cap.* 3. Quoniam ab ipſo citata, *Aſclepii*

cap. 4. leguntur) qui multis veterum imposuerunt quidem, *valde* tamen *recentiores sunt*, ut rectè *cum doctissimis Criticorum autumat* eruditus Jesuita *Nieremberg. lib.* 3. *de Orig. S. Scripturæ cap.* 9. & *Cento Christiana, Platonica & Ægyptiaca doctrina* meritò vocantur à supra laudato *Stillingfleet* Orig. *Sacr. pag.* 35. Id tamen certum, eundem Mercurium Trismegistum Abrahamo posteriorem esse. Nam *Artabanus quæcunque de Mercurio Trismegisto dicuntur, ostendit fuisse in Mose & à Mose gesta, eumq; Mercurium ipsum fuisse appellatum* inquit *Ficinus de Christ. Relig. cap.* 26. Imò non minori probabilitate alii *Josephum Patriarcham* sub nomine istius Hermetis vel Mercurii ab Ægyptiis cultum, existimant, quos inter est Rev. *Hermannus*, quondam hîc Professor Theologiæ & Pastor meritissimus, in *Disp. Miscell. Decad.* 8. *quæst.* 6. Saltem eundem Josephum, magni nominis Doctorem in Ægypto fuisse, patet ex Psal. CV. 22. Quod si vel concedatur, ut supra factum, Abrahamum eousque Arithmetices peritum fuisse, ut ista mysteria Pythagorica, de numerorum harmonia & proportionibus, haud ignoraverit, num credibile, eum voluisse symbolis abscondere ac involvere, quæ à majoribus acceperat aperta, & quidem symbolis talibus, quæ eam in rem adhibita fuisse, nusquam in Sacris Literis legimus, si unicum numerum bestiæ excipias? Quæ ejus rei ratio? quis usus? Anne, ut creationis historia tanquam mysterium lateret, vulgo inaccessum? Atqui idem revelari, magis faciebat ad honorem Creatoris propagandum, magis decebat Abrahamum tanto elogio ornatum Gen. XVIII. 19. An verò, ne Mathematicæ disciplinæ inter posteros perirent? Atqui id fieri poterat commodius, citra ejusmodi ambages & ænigmata. Vel enim unà tradebat rationem istorum numerorum mysticam, vel non. Si prius, numeri tantùm vices signorum obtinebant, quibus res creatæ repræsentarentur & in memoriam redirent. Poterant verò eædem aliis rebus repræsentari aptiùs, imò feliciùs memoriâ retineri, cum quotidie sensibus & intellectui obversarentur, citra ejusmodi phantasmata. Poterat etiam numerorum proportio expendi longe majori evidentiâ, extra talem usum symbolicum, prout à multis accuratè ostensa fuit, qui tamen istorum somniorum de numerorum vi quadam spermaticâ fuerunt ignarissimi. Sin verò posterius, cur crucem poste-

posteris fixit, & fecit, intelligendo ut nihil intelligerent? ut perpetuo dubii hærerent, num quod vel eruissent ipsimet, vel ab aliis accepissent, vera esset Patris Abrahami sententia? Quæ omnia satis evincunt, falsas hypotheses à D. Moro gratis assumi, ut qualicunque ratione reddat probabile, Mosen in historia creationis numerorum mysteria sectatum, & hinc, cum antecedens probari nequeat, parùm de consequentia laborandum esse.

Attamen 2. Si vel ista omnia largiamur, hæc tamen adhuc potest negari. Non sequitur, dico, Abrahamus insignis Mathematicus historiam creationis involutam numerorum mysteriis tradidit posteritati. Ergo probabile est, Mosen qualem à majoribus acceperat in literas retulisse. Quæ enim scripsit, θεοπαράδοτα fuerunt, (ut rectè Cabbalista fatetur *Introduct in Defens. pag.* 98.) non πατροπαράδοτα. Quod si divinum instinctum & ductum in scribendo secutus est, quid ad ipsum Abrahami aut majorum exemplum? Quisquis sanè ita urget Cabbalam à Majoribus acceptam & ad eandem Mosen dum codicem sacrum exararet vult respexisse, is divinitati narrationum ejus non parùm derogat. Quasi non scripserit immediatè ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενος, sed traditionem majorum in literas retulerit. Miror equidem Cabbalistæ non in mentem venisse ipsius *Mosis* sapientiam & *studia Mathematica*, quæ πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων comprehenduntur Act. VII. 22. unde propius potuisset conjecturam suam stabilire. *Justinus Martyr* quidem vel quisquis est author *quæst. & Resp. ad Orthodoxos*, (quem recentiorem esse ex Origene *quæst.* 82 *&* 86. ac Irenæo *quæst.* 115. citatis rectè evincit *Bellarminus de Scriptor. Ecclesiast.*) *quæst.* 25. parùm disciplinis Mathematicis favens, refert, quod *Astronomia, Astrologia*, & *Geometria* tunc apud Ægyptios χυδαῖα τε καὶ πεζὰ καὶ ἀγοραῖα μαθήματα seu *viles, humiles & vulgares disciplinæ* habitæ sint, adeoque Moses magis literis hieroglyphicis imbutus, quæ apud Ægyptios in honore erant, quamvis & illarum tantum habuerit εἴδησιν & *scientiam*, non χρῆσιν & *experientiam*. At *Philo Judæus lib.* 1. *de Vita Mosis* & ex eo *Clemens Alexandr. lib.* 1. *Strom.* Studia Mosis recensentes, *Arithmeticam* quoq; & *Geometriam* enumerant. Addit *Clemens* ἰατρικὴν seu *Medicinam*, nisi potiùs pro eo legendum μετρικὴν seu *metricam*, uti apud *Philo-*

nem, ex quo *Clemens* ista recitat, habetur. Nec dubitandum videtur, Mosen omni sapientia Ægyptiorum excultum, Mathesi quoque operam dedisse, cùm apud eos in pretio fuerit, ex quo literas primum acceperunt, uti docent ea quæ de literis Ægyptiacis commentatur *Joh. Pierius Valerianus Hieroglyphicorum lib.* 47. *fol.* 351. Quæ causa tamen fuerit, quòd D. Morus noluerit istam Mosis sapientiam allegare, nolo anxiè rimari. Credo veritum, ne meritò objici posset, Mosen sacra profanis miscuisse & Ægyptiorum mysteria esse, quæ in libris ejus legantur, adeoque humana, hominum commentis annumeranda. Hinc forsan maluit ad Abrahamum recurrere. Quāvis nihil videam differentiæ. Si enim Abrahamus Ægyptios Mathematicas disciplinas docuit, uti supra vidimus à nonnullis affirmari, utique illa ipsa σοφία ἀιγυπτίων, quam Moses edoctus fuit, Abrahamica erat, atque perinde, sive dicas, Mosen acceptam ab Abrahami posteris h. e. majoribus suis historiam creationis, arcanis numerorum mysteriis involutam tradidisse; sive, eundem Mosen pro consuetudine Ægyptiorum ab Abrahamo haustâ mysticam creationis proportionem more quodam hieroglyphico velasse, ne cuivis aditus ad ejus arcana pateret. Unde semper Moses Scriptoribus profanis similis constituitur, majorum traditiones referens & Cabbalista, quoniam ita Cabbalistæ videtur. Verùm ad alteram rationem pedem promoveamus.

Secunda enim, quam eodem loco *in Præf. Defens.* adhibet, est, *quia admodum frequens, ut in Propheticis & ænigmaticis scriptis mysteria occultentur, uti sub allusionibus nominum & ætymologiarum, sic etiā sub adumbratione numerorum. Quod notissimum, in ipsa etiam Scripturâ, non indiget probatione, solo tamen & eximio exemplo numeri bestiæ 666. confirmatur.*

Quæ si examini subjiciantur, levia esse deprehenditur, nec plus ponderis afferre quàm rationem superiorem, *ut Moses historiam creationis numerorum mysteriis involvisse credatur.* Id enim erat saltem probabili aliqua ratione confirmandum, nec dicendum obliquè, *non videri improbabile, hanc antiquam Philosophiam Mosaicā numerorum mysteriis involutam fuisse.* Siquidem quærebatur, num *Moses* id fecerit & dies creationis enumerans Pythagorica ista my-

steria

ſteria intenderit? Non verò, an ab aliis id fuerit factum, qui Moſen in nonnullis ſecuti ? De quo nulla quæſtio eſt. Itaque ut ad rationem ejus reſpondeam.

1. Conceditur, admodum frequens eſſe, ut in Propheticis & ænigmaticis ſcriptis myſteria ſub numeris occultentur, maximè ubi rebus futuris certæ periodi aſſignantur & de temporum computationibus agitur, idque in Scriptura quoque obtinere, uti ex Daniele & Apocalypſi patet.

2. Negatur tamen, quod id adeo fiat promiſcuè, ut ubicunque in narratione hiſtorica *numerus* aliquis *numeratus* occurrit, illico licitum ſit, myſterium aliquod exinde exſculpere, aut credi debeat, aliquid μυστηριώδες ſub eo latere. Quin in Scripturis id adeo rarum, ut extra reſpectum typicum (e. g. in Jonæ triduo Matth. XII. 40. ſignificante triduum mortis Chriſti) & Chronologicum, auſim aſſerere, nullum dari in tota Scriptura exemplum, ubi *numerus* ad *perſonam* aut *rem* ſignificandam adhibeatur, unico iſto excepto qui ex Apoc. XIII. 18. à D. Moro allegatus eſt. Cujus in abdito latentem ſignificationem ſatis arguunt tot diſcrepantes de eo ſententiæ illorum qui de Antichriſto ſcripſerunt. Quarum nonnullæ haud meliores ſunt, quàm illa *Cælii Secundi Curionis in Paſquillo Extatico,* qui putat *characterem nominis eſſe* PA, *numerum verò* PP. AA. *Quia numerus hominis (ut Pythagoreis placet) binarius eſt.* Quo etiam refert *quod* PA *frequenter in Jure Canonico occurrat.* Si uſquam, certè in quæſtione tanti momenti erat providendum, ne veritas Adverſariorum ludibriis exponeretur. Sed (ut ad rem redeam) multa quidem Cabbaliſtæ Judæi per Gematriam ſuam in exponendis Scripturis auſi ſunt temerè. Multa etiam Veterum plurimi in iſtis numerorum myſteriis explicandis ſibi indulſerunt. At omne iſtorum ſtudium ſive audaciam, hujus Cabbalæ Philoſophicæ Pythagorica ſubtilitas exuperat. Illi equidem de numero numerato varia paſſim commenti potius quàm commentati ſunt, quoſdam etiam numeros numerantes *monadem* putà, *binarium, ternarium, quaternarium, quinarium, ſenarium, ſeptenarium, denarium* &c. tanquam myſticos eam in rem commendarunt, & hinc inde tanquam regulas applicarunt, quo jure, mox dicetur. Sed quis eorum unquam ſcripſit: *Unio paſſivi &*

activi principii primæ, secundæ, tertiæ, &c. diei opus constituit & numerus naturam ejus denotat : si unicum *Philonem Judæum* excipias, qui in libro *de Mundi opificio* plurimum ad ejusmodi mysteria eruenda digreditur? Quoniam *multùm in istâ expositione Pythagorizat*, uti Cabbalista fatetur *Defens. pag.* 153. Profana igitur est hæc exponendi ratio, quæ Pythagoram Mosis interpretem constituit. Sanè si is numeros suos & harmoniam Musicam ex Mose hausisset, non opus fuisset, ut eum *frustra tantæ tamq; arcanæ rei diuturna inquisitio fatigaret*, donec *cùm casu præteriret in publico fabros ignitum ferrum ictibus mollientes, in aures ejus malleorum soni certo sibi respondentes ordine repente caderent*, prout *Macrobius* refert *lib.* 2. *Comment. in Somn. Scip. cap.* 1. Cui meritò fides adhibenda, si nemo est *ad Pythagoræ Platonisq; divina mysteria vel ductor melior, aut doctor*, ut *Joh. Isaacus Pontanus in Præf. Collectan. ad* eundem *Macrob.* censet. Erant hi Philosophi Matheseos studio imprimis addicti. Unde illud solenne in eorundem Scholis monitum: οὐδεὶς ἀγεωμέτρητος εἰσίτω h. e. *Nemo Geometriæ imperitus sit.* Non ergo mirum, si quæ hauserant secretiora de Deo & ortu universi, quæ εἰς τὴν τῶν ὄχλων ἄγνοιαν οὐκ ἦν ἀσφαλὲς ἐξενεγκεῖν *ob plebis ignorantiã in apertum proferre haud tutum erat* : uti *Josephus* ex mente Platonis loquitur *lib.* 2. *contra Apion.* Mathematicis ænigmatis involuta discipulis suis voluerint tradere. Quorum Philosophiâ cùm delectari cæpissent quidam Judæorum & Christianorum doctores, κακοζηλίᾳ quâdam abrepti, idem Scriptores sacros fecisse arbitrati sunt, quod in istis Gentilium Magistris animadvertebant, quorum sapientiam admirabantur. Hinc S. Literas cum tali præjudicio legentes, ubi numerus, mensura vel pondus occurrebant, illico mysterium latere suspicati, omnem lapidem sustulerunt, donec invenirent id quod ipsi attulerant, & id cernerent, quod infecti fuligine Ægyptiacâ oculi apprehendebant. Quorum præposterum studium dum imitarentur cæteri, cum Græcis sapientiam illam profanam in divinis mysteriis quærentes 1. *Cor.* 1. 22. atque ad illorum placita, quibus imbuti erant, omnia exigentes, factum est ut deliriis horrendis justo Dei judicio involverentur multi, hæreseon nefandarum exinde Patriarchæ. Contigit etiam, ut alii μετὰ σωφροσύνης talia tractantes, tamen non satis cauti quandoque

in

in devia abriperentur. Cujus equidem mali, si quis originem requirat, haud alibi quàm in Ægypto quærenda est. Primus qui facem reliquis prætulit is ipse fuit *Philo Judæus*, cujus supra meminimus, natus Alexandriæ in Ægypto & magnâ ibidem eruditione celebris, ut non alium delegerint Judæi, quem Romam mitterent patronum. De hoc enim ita *Photius* in *Bibliotheca, Cod.* 105. φέρεται δὲ αὐτοῦ πολλὰ καὶ ποικίλα συντάγματα, ἠθικοὺς λόγους περιέχοντα καὶ τῆς παλαιᾶς ὑπομνήματα, τὰ πλεῖστα πρὸς ἀλληγορίαν τοῦ γράμματος ἐκβιαζόμενα· ἐξ οὗ οἶμαι καὶ πᾶς ὁ ἀλληγορικὸς τῆς γραφῆς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ λόγος ἔσχεν ἀρχὴν εἰσρυῆναι h. e. *Circumferuntur ejusdem* (sc. Philonis) *multa & varia opuscula, quibus disputationes de moribus continentur & Veteris Testamenti explanationes, ad allegoriam utplurimum ipsâ literâ violenter detorta. A quo arbitror etiam omnem allegoricum S. Scripturæ sermonem in Ecclesiam primùm promanasse.* Nam sub ipsum nascentis Christianismi exordium vixit, & cum Petro Apostolo amicitiam coluisse, Christianorum quoque sacris initiatus fuisse fertur, à quibus tamen pòst dolore quodam & iracundia desciverit, uti *Hieron. in Catalogo Script. Eccles. Euseb. Hist. Eccl. l. 2. c. 16. Suidas* & idem *Photius l. c.* referunt. Saltem in pretio ipsum fuisse apud Christianos ejusque scripta, docet catalogus horum apud *Hieron. l. c.* & *Euseb. l. c. cap.* 18. qui ejus cum laude meminit. Unde colligitur, admodum verisimilem esse istam Doctissimi hujus Constantinop. Patriarchæ opinionem, qui Christianos in studio allegoriarum Philonem tanquam ducem secutos putat. Nam ad eandem confirmandam, mihi vel imprimis facere videtur, quòd in libro περὶ βίου θεωρητικοῦ seu *de vita contemplativa*, mores & instituta Therapeutarum seu Ascetarum in Ægypto describens, Allegoriarum studium tanquam proprium istis vindicet. Αἱ δὲ ἐξηγήσεις τῶν ἱερῶν γραμμάτων γίνονται δι' ὑπονοιῶν ἐν ἀλληγορίαις· ἅπασα γὰρ ἡ νομοθεσία δοκεῖ τοῖς ἀνδράσι τούτοις ἐοικέναι ζώῳ· καὶ σῶμα μὲν ἔχειν τὰς ῥητὰς διατάξεις, ψυχὴν δὲ, τὸν ἐναποκείμενον ταῖς λέξεσιν ἀόρατον νοῦν. h. e. *Enarrationes autem sacrarum literarum per conjecturas fiunt allegoricas. Tota enim lex his viris videtur animalis habere similitudinem, cujus corpus, præcepta ut sonant, referunt, animam verò, sententiæ visum effugientes & sub verborum velamine latentes.* Quo dicto etiam D. Morus *titulum Defensionis* suæ voluit ornare. Cum enim credide-

rint Christiani, ſuos Religioſos in deſertis Ægypti degentes his verbis à *Philone* in iſto libro deſcriptos fuiſſe, (licet is de Eſſenis ageret, uti rectè *Voſſius de Hiſt. Græc. l. 2. c. 7.*) commentarios de allegoriis, (quorum idem ibid. meminit) Evangelia eſſe & Apoſtolorum ſcripta, Philonem quoque iſtorum Aſcetarum fuiſſe auditorem, uti liquet ex *Euſeb. Hiſt. Eccl. l. 2. c. 17.* & *Suida* in φίλων, apud quem tres tituli περὶ τῆς διαγωγῆς τῶν χριστιανῶν. περὶ βίου θεωρητικοῦ περὶ ἱκετῶν· eundem librum deſignant, & primus eorum, qui nuſquam apud Philonem occurrit, ex iſta opinione unicè effictus: perquam ſanè probabile videtur, eosdem eo avidius hunc *Philonem* ſecutos, cùm cenſerent, eum accepta à Viris Apoſtolicis tradere, atque eo magis numerorum myſteriis ſcrutandis operam dediſſe, quòd in eodem libro Philonis legeretur πεντηκοντὰς ἁγιώτατος καὶ φυσικώτατος ἀριθμῶν, ἐκ τῆς τοῦ ὀρθογωνίου τριγώνου δυνάμεως, ὅπερ ἐστὶν ἀρχὴ τῆς τῶν ὅλων γενέσεως h. e. *quinquagenarius ſanctiſſimus & naturæ gratiſſimus numerus, conſtans ex vi rectangularis trianguli, quod eſt initium generationis rerum omnium*; & in reliquis ejus ſcriptis quoque magna paſſim extaret numerorum veneratio. Quo reſpectu meritò ὁ Πυθαγόρειος φίλων ſeu *Philo Pythagoræus* vocatur à *Clem. Alex. l. 1. Strom. p. m. 305.* Siquidem non ſolùm in libro *de mundi opificio* numerorum myſteria ex principiis Pythagoricis captat, ſed & alibi. Ita *ſub init. lib. 1. Allegor. Legis* de perfectione *numeri ſeptenarii* adeò mirè philoſophatur, ut, præter alia multa ejus exempla, eundem quoque quærat *in ſeptem partibus* τοῦ ἀλόγου τῆς ψυχῆς, *quinque* videlicet *ſenſibus, inſtrumento vocis & vi genitali; in 7. motibus corporis, quorum 6. organici ſint, ſeptimus circularis; in 7. viſceribus, ſc. ſtomacho, corde, liene, jecore, pulmone, & geminis renibus; in 7. membris corporis, capite, cervice, pectore, manibus, ventre, inguine, pedibus*; (planè anatomicè & ad unguem! Manus enim & pedes non æquè geminantur ac renes.) *in 7. foraminibus capitis, ſc. oculorum, aurium, narium oris*; & ubi non? quando etiam neceſſe habuit ut 7. *ſpecies excrementorum* allegaret. Alibi de *denario* ejusque perfectione multa tradit *ſub init. lib. de Decalogo*, ubi docet eundem Græcis dictum δεκάδα q. δεχάδα, παρὰ τὸ δέχεσθαι καὶ συγκεχωρηκέναι τὰ γένη πάντα τῶν ἀριθμῶν *quod capiat comprehendatque omnia numerorum genera*, uti pluribus

ribus in ſpecie oſtendit. Sic *in libro de Abrahamo p. m.* 382. pugnam quatuor & quinque Regum, quæ Gen. XIV. legitur, per illam Arithmeticam myſticam exponit. *Quatuor* ex iſtis regibus dicit eſſe τὰς ἐν ὑμῖν τῶν τεττάρων παθῶν δυνάμεις, ἡδονῆς ἐπιθυμίας, φόβου, λύπης ſeu, *noſtrorum quatuor affectuum potentias, voluptatis, concupiſcentiæ, timoris, doloris: Quinque* vero reliquos, τὰς ἰσαρίθμους αἰσθήσεις *ſenſus totidem* eſſe. *Regnare iſtos in nobis, non tamen æqualiter. Quinque enim ſenſus ſubeſſe quatuor iſtis affectibus atq́ eisdem tributum pendere, dum materiam ſuggerunt unde aluntur.* Quòd *quamdiu fiat, ſalva manere inter iſtos reges fœdera. Alioquin ſublata penſione, mox bellum oriri & defectionem. Id maximè fieri in ſenio, ubi affectibus non ſeneſcentibus, viſus hebetatur, aures ægrè audiunt & cæteri ſenſus deficiunt. Non mirum ergo ſi viribus exhauſti ab infeſtis affectibus ſubvertantur. Naturæ quoque conſentaneum, quòd duo ex iſtis quinque regibus in puteos legantur incidiſſe, cæteri vero fuga ſervati. Id enim de guſtu & tactu intelligendum qui intima corporis penetrent, cùm oculi, aures & odoratus plerumque foris ambulent atq́ ſervitutem corporis effugiant. Hanc autem contentionem cùm obſervet vir probus, ſubito exſurgere & rationis imperio iſtos in ordinem cogere.* Quod πλάσμα μύθου ſeu *figmentum mythologicum* (quale tamen *Philo* negat eſſe) ſatis indicat, non minus naturam rerum quàm verba S. Scripturæ ab iſtis torqueri, qui talibus commentis delectantur nec ſatis ad omnes circumſtantias attẽdunt, ubi allegoriis hujusmodi homilias ſuas volũt exornare. Quàm multa enim in hoc diſcurſu Philonis occurrunt, quæ accuratiores Phyſici & Ethici haud admittent? 1. *Numerus affectuum quaternarius* conſtituitur, cùm tamen *ſex* ſint *paſſiones animi primitivæ*, admiratio, amor, odium, cupiditas, lætitia & mœror, ex quibus cæteræ omnes componuntur & derivantur, quarum numerus longe maximus eſt. Vide inſignem libellum *Carteſii de Paſſionibus P.2. art. LXIX. & ſeqq.* 2. *Senſus affectibus ſubeſſe* narrantur, cùm tamen contrarium potius dicendum ſit vel ſaltem quod ſibi invicẽ obſequantur. 3. Eosdẽ *ſẽſus viribus exhauſtos ab infeſtis affectibus ſubverti* aſſeritur, cùm tamẽ ſenſibus ſenio fractis & languente motu ſpirituum animaliũ, ipſi affectus independentes una plerumq; evertantur. 4. *Guſtus & tactus* tantùm, dicuntur *intima corporis penetrare, oculi verò, aures & odoratus*

plerumque foris ambulare. Quasi hoc respectu ullum inter sensus sit discrimen, quando organa ab objecto grato vel ingrato afficiuntur. Utique respectu passionis quæ omnibus sensibus communis est, quidam non malè unicum tantum sensum externum, nempe tactū, statuere haud verentur. Si visus, auditus & olfactus non æquè intima corporis penetrarent ac gustus & tactus, quorsum istud Poëtæ: Ut vidi, ut perii! quorsum ista admirabilis Musicæ vis in commovendis affectibus, quam selectis exemplis comprobat *Camerarius Oper. subcisiv. Cent.* 1. *cap.* 18? quorsum denique tantus odoratorum in Medicina usus, adversus animi deliquia, syncopen & lipothymias? cujus insigne experimentum fecit Philippus Medicus, Alexandrum in desperato morbo *torpentem, nunc cibi, nunc vini odore excitans* apud *Curt. lib.* 3. *c.* 6. Quorsum tanta odorum vis, ut etiam *Plinius* exinde *gentem Astomorum* finxerit, *sine ore, halitu tantùm viventem & odore, quem naribus trahat, Hist. Nat. lib.* 7. *cap.* 2. & de Philosopho Democrito credatur, eum solo panis recentis odore vitam ad triduū produxisse, teste *Diog. Laertio lib.* 9? Sed quis omnia commemoret, quæ *Philo* vel in ista de novem Regibus allegoria, vel alibi, per detorsiones ex numerorum mysteriis exsculpsit? Utinam non is viam Christianorum Doctoribus præivisset! Quos tamen ab ejusmodi conatibus, hæreticorum exempla meritò debuissent absterrere, quibus familiare in numeris solennia delirare. *Basilides* erat, qui suo Ἀβρασὰξ vel *Abraxas* satis testatum dederat, quantum numerorum mysteriis deferret, de quo *Irénæus* & *Epiphanius hær.* 24. Idem non veritus fuerat, sermonem Apostolicum in Pythagoricum dogma trahere, ut supra *pag.* 72. ex Origene vidimus. *Carpocratitæ* erant, qui imagines Philosophorum Pythagoræ, Platonis, Aristotelis aliorumque juxta imagines Servatoris Jesu collocabant, collocatasque adorabant, uti idem *Epiphan. hær.* 27. *Valentiniani* erant & *Gnostici*, quorum horrenda de quaternario Pythagorico & octonario (quem *matrem* & *sapientiam* & *terram*, & *Hierusalem*, & *Spiritum sanctum*, & *Dominum masculino genere* appellabant) deliria, ab eodem *Epiph. hær.* 31. recensentur. *Marcosii* denique erant, quorum omne mysterium in numeris & elementis literarum versabatur, qui verè dici poterant *οἱ εἰς ἀριθμοὺς πάντα κατάγοντες ad numeros omnia deducere*, cùm *ex uni-*

unitate ac dualitate universa constare assererent & ab unitate usque ad quatuor numerantes sic denarium generarent, inq; vocibus ἄῤῥητος & σιγὴ, πατὴρ & ἀλήθεια, λόγος & ζωὴ, ἄνθρωπος & ἐκκλησία, ἰησοῦς & υἱὸς χριστὸς, περιστερὰ & ἀμὴν, per suos quaternarios, senarios, octonarios, denarios &c. adeo ridenda mysteria quærerent, ut non possint absq; stupore legi apud dictum *Epiph. hær.* 34. Et tamen prisci Ecclesiæ Doctores qui eodem ferè tempore vel non multo pòst vixerunt, qui horrendam istam Arithmeticam execrari debuissent, multum ab ista impuritate vitii contraxisse deprehenduntur, præsertim illi qui κατὰ τὴν αἰγυπτίαν ἐκείνην τὴν τοῦ ἀρχιμαγείρου τὴν ὀλεθρίαν καὶ μοχθηρὰν h. e. *in Ægyptia illa perniciosa ac flagitiosa Archimagiri terrâ* (ut *Epiphanii* ejusdem epitheto ex *hær.* 26. utar) vel nati sunt vel docuerunt. Quod vel solum *Clementis Alexandrini* & *Origenis* comprobat exemplum, quorum uterque in cathedra Alexandrina docuit, uterque Philonis Judæi cum laude meminit, (ille quidem *lib.* 2. *Strom.* semel & *lib.* 1. *Strom.* ter, ubi maximè hanc in rem notabilis allegoria de Sara & Agar, quæ *p. m.* 284. ex *Philone* citata, apud eundē sub init. *lib. de Cherubim* & in libro *de congressu quær. eruditionis gratia pag.* 427. legitur: hic verò, *libro* 4. *contra Celsum*, ubi *commentarios Philonis de legis allegoriis* eximio elogio ornat) uterque etiam nimiùm placitis gentilium invigilasse & in numerorum mysteriis scrutandis plus quàm par erat Pythagoram secutus fuisse advertitur. De *Clemente Alex.* id satis constat ex loco qui jam suprà allegatus *lib.* 6. *Strom.* Ubi postquam Arithmeticam Abrahami exemplo commendasset, Pythagoricum planè subjicit discursum de numerorum proportione Arithmetica & Geometrica *p. m.* 656. *& seqq.* Ibi *numerus trecentenarius est ternarius in centenario, denarius verò, undiquaq; perfectus. Octonarius est primus cubus. Numerus annorum CXX.* (Gen. VI. 3.) mox est *numerus ab unitate per compositionem quintusdecimus*, adeoque justum tempus pœnitentiæ datum denotat, *quia Luna quintadecima est plena*: mox verò est *numerus triangulus & constat ex paritate numeri* 64. mox rursus, constat *ex quatuor* numeris, *uno quidem triangulo, nempe* 15. *altero quadrato, nempe* 25. *tertio autem pentagono, nempe* 35. *quarto* denique *hexagono, nempe* 45. Tum *numerus* 25. *qui est* 5. *ab unitate dicitur esse symbolum tribus Leviticæ*. Nec minus admiranda in dimensio-

nibus

nibus arcæ Noachi rimatur, ubi 300 *cubiti* longitudinis rursum sunt *symbolū signi Dominici* h. e. crucis, quā Græcum T refert: L. verò *cubiti* latitudinis, *sunt symbolum spei & remissionis in* festo *Pentecostes*: 30. *autem*, *vel uti in quibusdam* sc. codicibus legitur, 12. *cubiti* altitudinis *dicuntur significare prædicationem* sc. Evangelii, *quoniam tricesimo quidem anno prædicavit Dominus: duodecim autem fuerunt Apostoli.* Ita de mensa in templo eadem ratione philosophatur. Hanc dicit fuisse *cubitorum* 6. quoniā 2. cubiti longitudinis & unus cubitus latitudinis Exod. XXV. 23. & XXXVII. 10. eum numerum in circumferentia conficiunt. Et cum *pedes quatuor* fuerint *circiter unius cubiti & dimidii*, hinc in universum colligit *cubitos* 12. *convenienter* 12. *mensium conversioni, quæ fit per circulum anni, quibus terra omnia producit & perficit, cum* 4 *temporibus anni inita consuetudine.* Mensa enim hæc terram quoque significat, *quæ* 4. *fulcitur pedibus*, *æstate*, *autumno*, *vere*, *hyeme*, *per quos annus ingreditur.* Quibus & pluribus præmissis quasi ad apologiam subnectit, *multos rusticè aggredi doctrinam instar sociorum Ulyssis, non Sirenes sed numeros prætereuntes, obstruentes aures* (non *ora*, uti interpres ob vicinitatem soni in ὦτα per ἀβλεψίαν transtulit) *propter inscientiam, quoniam sciunt, si Græcis disciplinis aurem semel præbuerint, futurum ut nunquam possint reverti postea. Et tamen qui id quod conducibile est in usum Catechumenorum excerpit, non ideo à studio doctrinæ abstinendum esse.* Hæc *Clemens*, non Hieronymi tantum judicio sed aliorum quoque, *omnium eruditissimus*, in cujus libris *nihil indoctum*, nihil non *ex media Philosophia* depromtum, cujus meritis & laudibus in asserenda adversus gentes doctrina Christiana nihil volo derogatum; homo tamen, qui (uti ipsemet propemodum fatetur) *Græcis disciplinis sic aurem præbuerat, ut nunquam posset inde reverti.* Unde non mirum, si istis immersus, quam ex eisdem hauserat doctrinam rebus quandoque sacris sic intulerit, ut ad earum ideā S. Literarum sensus refingeret, veniâ dignus quidem quadantenus, non tamen penitus excusandus, sed eo nomine reprehendendus imprimis, quod talia se in usum Catechumenorum Græcorum excerpere subindicat, quibus ista nocebant magis quàm poterant prodesse. At discipulus ejus & in cathedra Catechetica successor *Origenes Adamantius* lōgius adhuc aberravit & in gravissimos erro-

res

res prolapsus est, dum ad gentilium placita deflectit & in numerorũ mysteriis quoque *Heracleonem* Valentinianorum Ducem sequitur, quem toties laudat *in Comment. in Johannem.* Videamus speciminis loco ex pluribus nonnulla, in quibus parum cautè numeros exponit, impiè & minus dignè de divinis mysteriis loquitur. *Hom. I. in Jes. duo Seraphim Jes. VI.* 2. ipsi sunt *filius & Spiritus Sanctus*, qui una cum Jehova insidente solio Trinitatem constituant. *Quæ* (inquit) *sunt ista duo Seraphim? Dominus meus Jesus & Spiritus sanctus. Nec putes trinitatis deserere naturam si nominum servantur officia.* Operiebant faciem Dei. *Exordium enim Dei ignotum est.* Hæc autem speculatio, prætérquam quod filium Dei & Spiritum sanctum Deo Patre inferiores quadantenus constituit & magis prȩcones quàm participes divinæ majestatis, non sine blasphemia, ἀντίγραφος etiam est. Siquidem filii majestas tum Jesaiæ ostensa fuisse & Spiritus Sanctus locutus esse dicitur *Joh. XII.* 41. & *Act. XXVIII.* 27. Quod rectè agnovit *Ambros.* in *tract. in Symbol. cap.* 10. & *lib.* 3. *de Spiritu S. cap.* 22. Unde merito *Hieronymus lib.* 3. *Comment. in Jes.* istam Origenis audaciam acriter perstringit. *Impiè* (dicit) *quidam duo Seraphim filium & Spiritum S. intelligit, cùm juxta Evangelistam Johannem & Paulum Apostolum filium Dei visum in majestate regnantis & Spiritum S. locutum esse doceamur.* Et *Epist.* 65. *ad Pammach. & Ocean.* ait se hanc *detestandam expositionem in duo Testamenta mutasse.* Quæ tamẽ allegoria haud solidior est, quod ipse *Hieron.* fateri videtur, dum eandem sub nomine non suo, sed *quorundam Latinorum* protulit. Interim ista Hieronymi allegoria nihil fidei derogat, uti & illud ὅπερ ἐφαντάσθησάν τινες, *quod fingebant nonnulli,* τὰ δύο τοῦ οὐρανοῦ ἡμισφαίρια *duo cœli hemisphæria* intelligi per istos duos Seraphim, apud *Basilium M. in Comment. in Jes. Tom.* 2. *pag.* 168. Hinc istam potius excusarim, quàm illam *Dionysii Alexandrini*, cujus *de duobus hircis* Lev. XVI. 5. speculatio, Origenianæ de duobus Seraphim haud absimilis est. Nam in *Epist. contra Paulum Samosatensem. Bibl. Pat. T.* 11. *p.* 283. eos dicit *typum fuisse Patris & filii. Cum enim filius ad crucem duceretur non fuisse solum, sed patrem cum eo, juxta locum Joh. XVI.* 32. Et ne quis putaret id per negligentiam ipsi, in illa insigni cæteroquin Epistola, quam paulò ante obitum scripsit, excidisse, repetit idem

M &

& apologiam subjicit: ἀλλ' ἐρεῖ μοι τίς χιμάροις τὸν πατέρα καὶ τὸν ὑιὸν ὡμοίωσας; ἐδιδάχθην οὕτως. h.e. *Sed dicet mihi aliquis: Hircis assimilasti patrem & filium? sic edoctus sum.* At à quo? *Origene* forsitan, quoniam ex *Hieron. de Script Eccles.* constat de hoc Dionysio, ὅτι Ὠριγένους ἐπίσημος βοηθὸς ἐγένετο *quod Origenis valde insignis adjutor fuerit*, licet hic *hom. 9. in Levit.* duos istos hircos aliò, & nominatim ad duos latrones qui cum Christo crucifixi sunt, referat, atque *lib. 3. περὶ ἀρχῶν cap. 2.* ex altero istorũ errore gravi Spiritum faciat immundum, qui *Apopompeus* seu *transmissor* dicatur. Errat autem eodem modo, quando *tom. 12. in Joh.* negat annos 46. Joh. II. 20. posse secundum historiam intelligi, atque dispiciendum relinquit, annon *per numerum 40. possint quatuor elementa mundi* significari, *per 6. vero, homo sexta die factus.* Quando *ibid.* quæ de structura templi Salomonici dicuntur, ad ædificationem nescio cujus *templi sabbatici h. e. septenarii sub œconomia angelorum* (à Chiliastis credo) *erigendi*, ita transfert, ut mera deliria loquatur. *Angelorum figuram gerunt sexcenti illi supra 3000 præfecti* 2. Chron. II. 18. Ita *70000 bajuli, numeri septenarii sunt cognati*, uti *80000 putatorum, octonario sunt similes.* Triennium præparationis *ostendit solum tempus intervalli cognati triadi, quæ sempiterna est. Quæ omnia quidem erunt, cùm pax perfecta fuerit post annos 430 œconomia rerum factarum, dum egrederetur ex Ægypto. Et post annos 30 testamenti ad Abraham: ut sint ab Abraham usq; ad principium ædificationis templi sabbathici hoc est septenarii, numeri duo, nempe 700 & 70.* Quis non ad hæc ænigmata obstupescat atq; τὴν παροινίαν τοῦ τῆς ὀργῆς ἐπωνύμου miretur? Præsertim cùm isto loco eousque sibi placeat in hisce ἀπορρήτοις, ut etiam conetur, sensum historicum sequentes, *pudore perfundere & flectere ad quærendum in his ceu literis spiritus sensum spiritu dignum.* Quærit, *An regum filii vacabant scalptioni grandium & pretiosorum lapidum, sumptâ arte à regia generositate & nobilitate aliena?* Quæro vicissim, ubinam hoc legatur? Num Hiram Tyrius, artifex peritissimus, ideo fuit aut filius aut pater Hirami Regis, quoniam 2. Chron. II. 13. Græcus vertit τὸν χιρὰμ τὸν παῖδά μου, & Vulgata Latina habet: *Hiram patrem meum*, cui etiam *Hieronymus* insistit in *quæst. in lib. III. Regum*, etsi saltem *dignitatis gratia* ita appellatum putet? Annon παῖς æquè ser-

vum

vum ac *filium* poteſt notare? Imò cur nec Origenes, nec Hieronymus obſervavit, verba Hebræa יודע בינה לחורם אבי ſenſum fundere longè commodiorem, ſi ל ſit nota dativi, ut aliàs frequentiſſimè? præſertim cum id circumſtantiæ exigerent propemodum? Quærit porrò, *an etiam numerus humeris onera portantium & lapicidarũ, & præfectorum, ac poſtremò temporis præparationis lapidum rerumque ſimilium vulgariter inſcriptus ſit?* Reſpondeo, Nequaquam. Manet iſti ſua certa ratio in magnitudine operis & magnificentia apparatus, ad quarum utramque juſtus numerus operariorum & juſtum tempus requirebatur? Nec ideo *vulgariter inſcriptus* erit, etiamſi iſta ſomnia Origenica haud admittamus. Si enim quà jure quà injuria neceſſariò ad figuram N. T. detorquendus eſt, licebit mihi potius opinari, *ternarium* in 3300 præfectis (uti 1. Reg. V. 16. legitur) *tres* notare *Apoſtolorum Principes*, Jacobum Petrum & Johannem, *οἱ δοκοῦντες στῦλοι εἶναι* Gal. II. 9. prout illi quoque שרי הנצבים vocabantur. In 70000 bajulis ſignificari 70 diſcipulos Chriſti. *Octonarium* in 80000 putatoribus lignorum & lapicidis, deſignare *octo ſcriptores N. T.* nempe quatuor Evangeliſtas & quatuor Apoſtolos, qui quicquid ad promovendam ſtructuram templi ſpiritualis (de quâ 1. Pet. II. 5.) faceret, exciderunt & contulerunt. *Triennium* denique *præparationis* reſpicere triennium prædicationis Johannis Bapt. aut Pauli in urbe Epheſina Act. XX. 31. Nihil in his periculoſũ, aut quod analogiæ fidei repugnet, quamvis fundamento ſolido careant. Quærit denique Origenes, *qui fieri poterat, ut chiliades octoginta lapicidarum cùm eſſent, ædificaretur Domus Dei lapidibus duris, candidis, neq; malleo, neq; ſecuri, ſeu aliquo ferri inſtrumento auditu in domo ipſius, dum ipſa ædificaretur?* Sed quid opus erat iſtud quærere, quando ipſemet reſponſionẽ ſubjecit, quæ non minus ſenſui hiſtorico quadrat, quàm myſtico? Erat nempe iſtorum חצבים qui ligna æquè ac lapides cædebant, uſus in monte Libano potiſſimum, unde materia ritè præparata avehebatur, ut non opus eſſet niſi eandem conjungere, uti legimus 1. Reg. VI. 7. Nec fuit neceſſe ut Talmudici ea propter vermiculum quendam Schamir fingerent, cujus mira virtute lapides fuerint fiſſi de quo agit Cl. *Buxtorfii* Patris & filii *Lexicon Talm. col.* 2455. Ex quibus omnibus facilè jam colligitur, quantum iſti Arith-

meticæ mysticæ sit tribuendum, etiamsi plura referre supersedeam, quæ apud Origenem eundem *Hom. 27. in Num.* de 42. mansionibus Israelitarum in deserto: *Hom. 5. in Num.* de ætate Levitarũ qui inde ab anno 25. ad sacra admittebantur, *Hom. 16. in Gen.* de Ægyptiis quintam partem bonorum dantibus, & alibi, frivola ac dissonantia leguntur, dum numerus quinarius, jam sacer est, jam profanus, pro lubitu. Jam Ægyptios homines carnales & sensibus deditos notat. Jam contra Levitas sensibus multiplicatis perfectos indicat. Constabit incertitudo & vanitas istius regulæ interpretandi quæ ex numeris Pythagoricis desumitur, licet non ostendam quàm variè ab aliis, Hieronymo etiam & Augustino, magnis Ecclesiæ luminibus, dum istis insistunt, aberratum sit, eousq; ut *Hieron. in cap. 40. Ezech.* etiã *annos* 14. ℣. 1. transtulerit ad 14. *generationes, quæ à Davide ad nativitatem Christi completæ sint*, contra Matth. I. 17. de quo Vide Cl. *Spanhemii Dub. Evang. P. 1. Dub.* 15. Constabit etiam de origine istius Arithmeticæ quam supra ex Ægypto & à Philone arcessivi, quamvis nihil jam addam de libris Pseudo-Sibyllinis, fætu Montani, (uti plerique eruditorum arbitrantur, quorum rationes distinctè protulit Clarissimus Theologus D. *Maresius*, Præceptor perpetuâ gratianimi memoriâ colendus, in *Diss. de Sibyllis. Syllog. P. 2. p.* 491.) quem Veterum plurimi ceu genuinum admiserunt & in quo magna ejusmodi mysteriorum, quæ à numeris pendent, est seges. Quod alia occasione *Basilius de Spiritu S. cap.* 18. id hîc quoque suo sensu locum obtinet: εἰ δὲ ἄρα δεῖ καὶ ἀριθμεῖν, μήτοιγε καὶ ἐν τούτῳ κακουργεῖν τὴν ἀλήθειαν. Si utique numeris nonnunquam inhærendum & eorundem mysteria indaganda sunt, fiat id parcè ac cautè, ne quid veritati præjudicetur. Sit Moses, vel alius eodem spiritu præditus, numeri quo usus est interpres, non Pythagoras. Ἑκὰς δ' ἑκὰς ἐστὲ βέβηλοι. Procul hinc, procul ite profani. Si lubeat herbas agrestes in usum sacri edulii convasare, absint colocynthides & herbæ mortiferæ. Non quidem sum ex illorum numero οἱ καθάπερ οἱ παῖδες τὰ μορμολύκια, οὕτως δεδίασι τὴν ἑλληνικὴν φιλοσοφίαν, φοβούμενοι μὴ ἀπαγάγῃ αὐτούς, quos *Clemens Alex.* magnus sapientiæ gentilium admirator, eo nomine corripit *Strom. lib. 6. pag.* 655. Usum enim Philosophiæ, Græcæ etiam, maximum in Sacris esse agnosco, & majorem fuisse tum,

quan-

quando ſanctis iſtis Patribus cum Gentilium Sophiſtis certamina intercedebant quotidiana, quos propriis armis jugulare non tantum glorioſum erat, ſed etiam cum incremento Chriſtianiſmi conjunctum. Interim tamen multos, iſti nimium deditos & deferentes, à veritatis tramite ad hæreſes aut perverſa dogmata abductos video, *& doleo bona fide, Platonem omnium hæreticorum condimentarium factum*, cum *Tertull. lib. de Anima cap.* 23. Indignum arbitror nomine Chriſtiano, reperiri in eo Philoſophos, qui tantum gentilium placitis tribuant, ut vel præ iſtorum ſapientia ſordeat ipſis divinarum literarum ſimplicitas in qua iſtam haud inveniunt, vel ſaltem putent eandem ſub cortice externi contextus abditam latere. Quos ad *Auguſtinum* remitto, alieno licet loco, benè tamen monentem *in Enarrat. Pſal. CIII.* (qui nobis 104. eſt) *Conc.* 3. *Tom. VIII. fol.* 261. *Modo ſi dicam vobis, credite; hoc enim dixit Cicero, hoc dixit Plato, hoc dixit Pythagoras, quis veſtrum non irridebit me? Ero enim avis, quæ non de petra emitto vocem meam. Quid mihi unusquisque veſtrum debet dicere? Hoc debet dicere ille qui ſic inſtructus eſt, Si quis vobis evangelizaverit præter quàm quod accepiſtis anathema ſit. Quid mihi dicis de Platone, & de Cicerone & de Virgilio? Habes ante te petras montium, de medio petrarum mihi da vocem tuam.* Ubi etiam paulo pòſt meliorē nobis Cabbalam ſuggerit quàm ea eſt cui D. Morus inſiſtit. *Ut enim* (inquit l.c.) *rigemur Scripturis, confugimus ad Apoſtolum Paulum. Ille unde habet? Confugimus ad Eſaiam. Eſaias unde? Audi unde, Rigans montes de ſuperioribus ſuis.* Nequeo denique ullatenus probare illorum præpoſteram diligentiam, quibus ἀεὶ ἐστιν ἐπιμελὲς, μὴ ἐκ τῶν θείων γραφῶν διδάσκειν τὰς ἀκεραιοτέρας ψυχὰς, ἀλλ᾽ ἐκ τῆς ἔξωθεν σοφίας παρακρούεσθαι τὴν ἀλήθειαν, *perpetuo ſtudio agitur, non ex Scripturis divinis ſimpliciorum animos ritè docere, ſed per extraneam philoſophiam veritatem concutere*, quos reprehendit, & Philiſtinorum paſtoribus fontes obſtruentibus ſimiles dicit, ipſe τῶν ἄλλων φιλοσοφώτερος *Baſilius Epiſt.* 141. A quorum culpa haud alieni ſunt, etiam illi, qui ſic veritatis veſtigia in gentilium ſcriptis legunt καὶ εἰς ὁδὸν ἐθνῶν ἀπέρχονται, ut fas ſibi putent eſſe, ſub ſpecie repetundarum quasvis illorum quiſquilias & λεπτολογίας tanquam ſenſum Scriptorum ſacrorum congerere. Quamvis non diffitear id ab ipſis

fieri ſcopo quandoque bono, de quo jam erit agendum.

Sect. IV. De autoris mente & ſcopo.

Ex prima quidem Diſputatione ſatis evidens eſt, quidnam potiſſimum D. Morus hiſce conatibus Cabbaliſticis intenderit, Atheorum nempe convictionem & aſſertionem ſapientiæ Moſaicæ ac ſummæ in rebus naturalibus peritiæ, quam ſub verborum involucris & numerorum ſymbolis abſconderit, idem poſtea imitante Pythagora & memoriam traditionis tanti momenti ſummo ſilentio ſervante. Adeoque poſſet ſupervacuum videri, pluribus de eodem deinceps contendere. Sed cùm idem nihilominus hanc intentionem ſuam quadantenus elucidarit tam *ſub fin. Præf. Cabb.* quàm *in* ipſa *Defenſione*, non inutile erit ad iſta paucis reſpicere, vel eo nomine, ut præjudicia appareant, quibus vir eruditus & pius gravatur, & eo deductus eſt, ut non tantum hæc commenta ſua quantivis faceret, verùm etiam publicaret, quaſi de publico optimè meriturus.

Nam 1. Ad quæſtionem, *cur hanc expoſitionem Cabbaliſticam publicarit?* Ita reſpondet *ſub fin. Præf. Cabb.* ut referat, *inſignem utilitatem Cabbalæ myſticæ ſeu moralis, inter cætera, haud parum eo contuliſſe. Siquidem* (pergit) *cùm morales & ſpirituales veritates, quæ nos adeo propè concernunt, ita mirè & præter opinionem, aptè tamen & appoſite repræſententur in hac hiſtoria Moſis, id omni veriſimilitudine eo majorem vim animis noſtris imprimet & eo majori efficacia propenſiones noſtras rapiet verſus id quod citra exceptionem bonum eſt, nos delectatione quâdam de verâ ad virtutem & pietatem viâ præinſtruendo.* Addit etiam *philoſophicam & literalem Cabbalam quoque ſuis honeſtis uſibus non deſtitui.* Ex illa enim *ad ſtuporem meri Naturaliſtæ (qui communiter cenſet homines pios & religionis patronos unicè ornari ſcrupuloſitate quadam circa virtutem & melancholica quadam phantaſia circa aliquam Deitatem) patere, quod Moſes Magiſter fuerit ſpeculationum ſublimium & generoſarum, quæ in tota naturali Philoſophia occurrunt.* Ex hac verò *conſpicuum fieri, fruſtra laborare illos, qui literam Moſis ad præcepta naturæ rigide exigunt ac volunt eum in externo contextu convenienter naturæ rerum locutum eſſe.* &c.

Nempe homo antiquus ex ſua natura cæteros fingebat, ſuas delicias, ſuos ſtupores, aliis promiſcuè tribuebat. Qui ſi voluiſſet iſta

elo-

elogia cum sua expositione conferre, nec fœtum suum ita tollere, ut nimium extolleret, haud dubio judicasset aliter & veniam potius multis nominibus isti scriptioni suæ à lectoribus poposcisset. *Primò* hîc audio utilitatem Cabbalæ moralis in movendis ad pietatem animis jactari, quæ nos nō sine delectatione quadā præinstruat de via huc tendente. Scopus fateor optimus est, animos validis argumentis non absq; voluptate quadam ad virtutem adducere. *S*ed ubi is in Cabbala morali apparet, vel ab eàdem obtinebitur unquam? In quo hominum genere? Num inter fideles, vel infideles? Cum istis miserè agitur, si de via ad pietatem ducente, hujusmodi nugis demū sint *præinstruendi*. Admodum quoque debiles animos habeant oportet, si talibus vel delectantur, vel ad virtutem moventur. Hi verò quomodo ad ista attendent? quomodo adducentur ut tantum authoritatis speculationibus Cabbalistæ tribuant, sive Judæi sive gentiles? *N*um tanta præceptorum inopia, ut opus sit ad allegorias recurrere? Et tamen D. Morus *Defens. pag.* 191. scribere non veretur: *Existimo hos labores meos pertinere ad partem generis humani haud minorem quàm est tota Judæorum & Christianorum natio; ut nihil dicam, de Persa ingenioso, nec desperem de Turca, licet impræsentiarum allegoriis haud sit amicus.* Annon magnus hic judicii defectus in viro erudito, Philosopho & Theologo? Annon mira hæc φιλαυτία? ne quid dicam gravius. At *secundò* video hic Cabbalæ Philosophicæ utilitatem commendari, quod Moses hinc Philosophus appareat ad stuporem Naturalistæ, qui putet viros pios ejusmodi ornamentis carere. Ubi scire velim, quos *Naturalistas* vocet? Num homines Atheos, profanos, Libertinos, quibus nulla religio est & vita brutorum ritu vivitur? An verò potius illos quos Galli *Deistas* vocant? Magna videlicet ingenia, quæ cum videant apud plerosque religionem cum superstitione misceri, istam ad acumen ingenii sui refingunt & quandam *religionem Philosophicam* nobis fabricantur, quæ Gentilismo quàm Christianismo similior est. Quo *Herberti* & *Hobbesii* scripta spectant, Quorum hic potissimum in suo *Leviathan* adeo se virum præstitit, ut monstris perniciosissimarum opinionum monstrosi nominis titulum planè ad vivum expresserit. Hos si voluit in stuporem rapere Cabbalista, rem sanè non satis cautè aggressus est.

est. Sunt enim homines naris haud obesæ, & adeo alieni ab omnibus phantasmatis, ut etiam negent, ulla spectra dari præter ea quæ hominum meticulosorum sibi fingit imaginatio. Sunt quoque subtiliores, quàm ut possint ejusmodi crassis Cabbalisticis καβίλοις (ex conjectura *Drusii in Præterit. ad locum Matth. XIX.* 24. cui tamen repugnat Celeb. *Bochart. Hieroz. Tom. I. col.* 91.) ullatenus constringi. Aliter & rectius de istis judicat *Thomas Sprat* nuperus Scriptor *Hist. Societatis Regiæ Anglicanæ, Part.* 3. *Sect.* 23. Sed denique *tertiò*, & literali Cabbalæ sua est utilitas, quòd doceat frustra laborare illos, qui Philosophiam in ipsa litera Mosis quærunt. At hæc tum demum agnoscetur, ubi constiterit, utile esse & publico bono conducere, ut aliorum conatus ceu inutiles traducantur ab illis qui non afferunt meliora; ubi etiam majori evidentia à D. Moro probatum fuerit, Mosen in externo contextu haud convenienter naturæ rerum locutum fuisse, uti suo loco ordine videbimus.

Verùm 2. in *Defens. Cabb. pag.* 190. & seqq. apologiam pro se scripturus tria sibi objicit & amolitur. Quorum ultimum, quia parum vel nihil ad causam facit, sicco pede transimus & duo priora saltem excutimus. Objicit ergo sibi 1. *Laborem nimis curiosum, dum applicarit naturales & Metaphysicas veritates textui incerto & lubrico, quæ melius tradi potuerint suo loco & ex professo, quàm imaginando, quod in ejusmodi obscuris & ænigmaticis scriptis fuerint subindicatæ.* Respondet verò, *plenam esse & justam hujus Cabbalæ convenientiam cum textu, præter confirmationem ejus ex historia de primo Pythagoricæ & Platonicæ Philosophiæ ortu, ut non debeat phantasma sed res admodum probabilis haberi, dari hujusmodi Cabbalam quæ ad literam Mosaicam pertineat; maximè si ad animum vocetur, quàm feliciter natura numerorum opus cujusque diei juxta sensum Cabbalæ exponat.* Addit etiam *se nullos labores curiosos aut tædiosos esse arbitrari, qui in commune bonum tendant. Ideoque* (concludit paulo pòst) *non impendimus labores nostros inconsideratè, quando tam ponderosas & utiles veritates, modo adeo religioso, tantæ parti orbis commendavimus.* Judæorum nempe & Christianorum universitati, ut supra vidimus. Ista autem retulisse est refutasse, quoniã responsio non tollit objectionem, sed supponit ea quæ in quæstionem

rem venſunt, nec unquam poterunt probari. Tum quoque certum, multa poſſe ex authorum mente ad publica commoda tendere, quæ tamen ſæpe inutiſia, ſæpè etiam noxia & pernicioſa meritò habentur. Quo reſpectu etiam hi conatus Cabbaliſtici, licet ex intentione authoris ad publici commodum dirigantur, vani tamen & inutiles ſunt, ut ſupra pluribus oſtenſum. 2. *Præcipitantiã* ſibi objicit, quam videatur incurriſſe, *dum in id incubuerit ut hæc myſteria divulgaret quæ Moſes adeo ſedulò textu ſuo obſcuro texerat*. Ac reſpondet, *privilegium id eſſe Chriſtianiſmi, cùm tempora jam vel maximè requirant, ut velum à facie Moſis removeatur. Quamvis etiã magnæ ſint veritates quas detexerit, tamen easdẽ æquè utiles ac ſublimes eſſe & non poſſe non admodum gratas eſſe cuilibet viro probo & ſancto, qui de iſtis competenter poſſit judicare.* Quin disertè profitetur *pag.* 192. *Si hæc Cabbala Philoſophica præter tot cæteras utilitates non haberet hanc quoque annexam, intentionem videlicet vitam divinam in mundo promovendi, eam ceu falſam & inutilem deſpicerem ac ſola Cabbala morali fuiſſem contentus.* Ad quæ quis non exclamet? O curas hominum inanes! ô pectora cæca! Adeone quenquam ſibi ipſi in ſuis commentis placere! Adeo fœtum proprium deperire! Quid ſi reſpondiſſet? nihil novi ſe afferre ſed Cabbalam tradere, quam ab aliis acceperit. Pridem id feciſſe Philonem & Origenem, quorum veſtigiis inſiſtat. Hunc non ſaltem in Tomis verùm etiam homiliis ad plebem talia divulgaſſe, quod & ipſe pari ratione vernaculo ſermone fecerit. Modeſtior ſanè hæc fuiſſet oratio. Jam verò, dum ita loquitur quaſi primus ipſe hæc myſteria divulgaret & velamen à facie Moſis removeret, an non multum prodit iſtius imperfectionis quam idem modò laudatus Scriptor *Hiſtoriæ Societatis Regiæ Londinenſis*, Anglis popularibus ſuis tertio loco ingenuè attribuit *Part.* 3. *Sect.* 36. *pag.* 524. verſionis Gallicæ, *quod nempe cogitationes ſuas ita intra ſeipſos limitent, ut non attendant ad ullam rem peregrinam, nec credant horum artes aut conſuetudines ſuis ullatenus præferri poſſe*? Quod vitium ipſe quidem *abjectionem quandam ſpiritus* vocat, alius verò meliori jure *elationem* nominaret. Quid enim iſta reſponſio aliud clamat, quàm οἶος πέπνυμαι, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀΐσσουσι? Privilegium ait eſſe Chriſtianiſmi, ut ſub eo myſte-

tia divulgentur à Mosé tecta, ut velamen à facie ejus removeatur. Scire velim, num id nemo ante Cabbalistam præstiterit? an frustra in eo desudarint prisci pariter Ecclesiæ Christianæ doctores & recentiores, ex quorum commentariis suam expositionem Cabbalista *convasavit*, uti supra *p.* 63. vidimus? Annon Apostolus 2. Cor. III. 15. de Judæis gloriam Messiæ ex Mose non agnoscentibus (de quo tamen hic scripserat Joh. V. 46.) potissimum loquitur? Annon satis indicat velamen istud non tam faciei Mosis, quæ sua luce radiat, quàm cordibus legentium obtendi? Sint in horum numero Christiani pariter ac Judæi. Num frustra v. 16. subjungit: *quando verò sese converterit ad Dominum, tolletur velamen istud?* Quid hîc sit *converti ad Dominum*, ex suo discat *Origene* ita id explicante *Hom.* 12. *in Exod.* Quid *ergo est converti? si his omnibus terga vertamus, & studio, actibus, mente, solicitudine, verbo Dei operam demus, & in lege ejus die ac nocte meditemur, omissis omnibus Deo vacemus, exerceamur in testimoniis ejus, hoc est, conversum esse ad Dominum.* Quæro jam, an nemo illorum, qui commentariis & exegesibus suis Mosen & ipsam historiam creationis illustrarunt, tali ratione ad Dominum conversus fuerit & sic remoto velamine mentem Mosis assecutus? Nolo enim ipsum Servatorem & Apostolos allegare, qui velatam Mosis faciem retexerunt, ut V. T. jam in Novo pateat. Quod si id D. Morus nequit diffiteri, fateatur etiam oportet, non nunc demum tempus esse aut hoc requirere, ut velamen à facie Mosis auferatur. Est illud quidem adhuc, juxta divinas promissiones, à cordibus Judæorum tollendum. Sed quid ad istam remotionem velaminis conferunt hi Pythagorici Cabbalistæ conatus, quibus Moses non tam explicatur quàm obscuris ænigmatis involvitur? *Vitam* nempe hæc *promovent divinam in mundo*, si Cabbalistæ credimus. *Viris* tantum *probis & sanctis* hæc *admodum grata sunt, qui competenter de istis possunt judicare.* At quinam illi, haud difficulter colligitur ex elogio, quo Cabbalam hanc ornat author anonymus (qui sub literis R. A. K. C. latere voluit) *in Præf. Alphabeti verè Naturalis Hebraici*, quod (inventum scilicet Hecatomba dignum) Trismegisto Mercurio Helmontio debemus. Ita autem is loquitur: *Utinam prolixiùs demonstrare liceret, quanta admirandi illi libri* (sacros intel-

intelligit) *ſub ſimplici ſua litera, non naturæ tantum ſed & morum contineant myſteria, ut de arcanis vaticiniorum nihil nunc proferam in medium! Verùm de iſtis omnibus Doctiſſimus Vir Henricus Morus in Conjectura ſua Cabbaliſtica tam inſignia edidit ſpecimina, ut illa ſine admiratione legi nequeant : & utinam ea per omnes non Moſis tantum ſed totius Scripturæ ſacræ libros pari methodo deducerentur; atque iſte labor aliquando annitente tota illa, de qua loquor, ſocietate, cum æterna & immortali nominis ejus gloria ſuſciperetur!* Idem videlicet iſtā laudat, qui hederam egregio de literis Hebraicis commento ſuſpendit. Quod, æquè ac ſocietas Interpretum (quam iſte ut & Helmontius ipſe in *Dedic. ad Celſiſſ. Principem Sultzbacenſem* adeo ſolicitè optant, nunquam licet niſi in republica Platonis erigendam) eò unicè tendit, ut ſub ſpecie commendandi ſenſus literalis & literaturæ Hebraicæ, iſtum tollat, & hanc in mera convertat phantaſmata. Quippe tale ſubſternit fundamentum, quo poſito S. Scriptura cujusvis ſentibus poterit aptari & quidvis non ſonare, tota tandem ſic abitura in ludibrium. Quod ut quandantenus conſpicuum fiat, atque novæ inſidiæ detegantur, quæ, ſub ſpecie extollendæ linguæ ſanctæ & explicandæ mirabilis organorum ſermonis ſtructuræ, locantur hominibus imperitis, quò incauti ad caſtra Enthuſiaſtarum traducantur : venia erit danda, ſi, miſſo tantiſper principali argumento & generali hujus conjecturæ Cabbaliſticæ conſideratione, ad novum hoc Helmontii εὕρημα nos convertamus. Eſt enim non planè à ſcopo alienum, cùm id idem voluerit eſſe ſpecimen & fundamentum pariter ſic ordinandæ linguæ Hebraicæ, ut interpretationes hiſce Cabbaliſticis ſimiles ex ipſo ſenſu literali citra ullam vim & diſtorſionem erui queant atque ſenſus iſte myſticus ſic prorumpere valeat. Conatus ſanè in herba opprimendus, nec permittendum, ut ſimplicioribus tali commento imponatur, ex quo cauſa hæc etiam ad vulgus delata & libellus iſte paradoxus Germanicè pariter ac Latinè editus eſt.

Digreſſio
De Alphabeti verè naturalis Hebraici delineatione
in lucem edita à F. M. B. ab Helmont,
Sultzbaci 1667.

Quisquis *Gaffarelli Curiositates inauditas* legerit, non mirabitur æmulum illius Magni nominis Helmontium id reperisse in lingua, quod iste inter sidera quæsivit. Neque enim à veri specie tantum abludit, pingi characteres literarum eodem organo & iisdem motibus, quibus exprimendis destinantur, quàm alienum est, typos humanis vocibus denotandis inservientes ducto demum à constellationibus exemplo usum inter homines invenisse. Par tamen ferè utrinque ratio. Si laudem captati acuminis & quædam Physica satis commodè *Colloqu.* 1. 3. 4. *&* 5. explicata demas, nil nisi otiosa speculatio est. Non lubet jam, nec opus est, singula minutim persequi aut excutere, quæ *de influxu lunari* & *natura solari* habet *pag.* 34. & expendere, quo jure *terram, cum circumstante undiquaque aëre, ceu magnam illam matrem nostram, per omnes suas partes sensu præditam adeoque animatam esse* dicat *p.* 50. statuat etiam, *mendacem in quo nulla veritatis idea invenitur, in absentis materiæ locum de ipsa essentia sua quasdam quasi particulas assumere pag.* 53. Et si quæ hisce similia paradoxa passim occurrunt. Utique si ostendero, ipsam illam *Alphabeti Hebraici verè* (ut ait) *naturalis delineationem*, nec veram, nec probabilem esse ; & si vel maximè probanda foret, nihil tamen ad faciliorem linguæ Hebraicæ perceptionem, nihil etiam ad sensum nova ratione ex textu sacro eruendum conducere : totum istud figmentum, unà cum scopo ad quem collimat, corruet, atque ad Utopiam Mori, vel Gymnasia & studia Solipsorum erit relegandum.

I. Probatur in genere & in specie, quod tota hæc delineatio fictitia sit & fundamento careat.

Notum est omnibus, qui Judæorem mysteria Cabbalistica introspexerunt, quantopere literas suas depereant & quàm superstitiosè in illarum numeris, combinationibus, transmutationibus, permutationibus ac apicibus scrutandis versentur. Quo tres Cabbalæ literalis species, *Gematria, Notarikon* & *Temurah* spectant. Quæ quomodo applicari soleant exemplis variis ostendit inter cæteros *Glassius Philolog. Sacr. pag.* 303. & seqq. Hæc illorum superstitio non nunc demum nata, sed in antiquis illorum libris ejus extant vestigia. Quin & inter Christianos orientales dudum reperti fuerunt

fuerunt, qui istis mysteria captantes insisterent. Hac vanitate enim correptus *Georgius Abulfaragius* (quem Christianum Doctorem magni nominis fuisse probat Cl. *Pocok. in Præfat.*) *Hist. Dynast. pag.* 14. mysterium quærit in verbis quibusdam benedictionis, quæ Abrahæ facta Gen. XVII. 2. ubi pro verbis Hebraicis וארבה אותך במאד מאד in versione Syriacâ legitur ; ואכברתה טב טב *Hic*, ait, *latere mysterium mirum. quod suo demum tempore patefactum sit. Si literæ istæ* (inquit) *addantur, producitur numerus* 656. *quod spatium est ab Hegira ad annum quo interfectus est Chalifarum Abbasidarum ultimus & recessit imperium magnum valde de stirpe Ismaelis.* Nempe 1. Benedictionem hanc Abrahamo factam Ismaelem potissimum respexisse credidit. 2. Versionem Syriacam authenticam censuit. 3. Id quod de multitudine dictum erat, de potentia & regno accepit, quod nusquam Ismaeli promissum, licet XII. Principes seu capita familiarum enumerentur Gen. XXX. 16. Denique 4. arbitratus est, hanc promissionem demum cœpisse impleri anno primo Hegiræ seu Æræ Saracenicæ, quo Muhammed impostor Meccâ Medinam profugus nomen isti dedit, & terminatam fuisse eo tempore, quo Imperium à Chalifis Syriæ ad Turcas translatum est, atque hanc periodum expressam fuisse occultè ipsis literis verborum promissionis supradictæ, quæ in unam summam collectæ 656. conficiunt. Cùm tamen (ut alia omnia prætercam) nulla ratione queat probari istos Chalifas Abbasidas ab Ismaele originem traxisse. Arabes enim Midianitæ fuerunt (adeoq; ex progenie Keturæ oriundi Gen. XXV. 2. 1. Chron. I. 32.) si vera retulit *Philo* in libro περὶ ἀνδρείας seu *de fortitudine pag.* 741. ἔθνος πολυανθρωπότατόν ἐστιν ἄραβες, οἷς ὄνομα παλαιὸν ἦν μαδιηναῖοι. Imò si vel fuit autor gentis hujus Ismael, uti *Josephus Antiqu. lib. 1. c.* 13. tradit, tamen meritò dubitatur, an in Mostarabibus seu Arabibus insiticiis (ex quibus Muhammedes ortus) post tantam commixtionem familiarum factam, aliquid adhuc superfuerit sanguinis Ismaelitici? Vid. *Pocok. Specim. Hist. Arab. pag.* 39. *& seqq.* Sed (ut ad rem redeam) si istius superstitionis Judaicæ circa literarum apices (quam malè imitatus est *Glassius* quoque *Christiano modo cabbalizans* de nomine Servatoris, quem soli Judæi ישו appellant, *Philolog. sacr. p.* 306.) origo quæ-

 ratur,

gatur, haud aliunde videtur deducenda quàm ab opinione de san- ctitate quadam & efficacia literarum Hebraicarum singulari, quas exinde magna veneratione prosequuntur. Nam vera sunt, quæ jam olim *Agobardus* Episcopus Lugdunensis, in libello *de Judaicis superstitionibus* scripsit *Bibl. Pat. Tom. 9. col.* 1205. *Literas quoque Alphabeti sui credunt existere sempiternas & ante mundi principium impetrasse diversa ministeria, quibus eas oporteat in seculo præsidere.* Probant id omnia, quæ in *libro Jetzirah* (quem Judæi Abrahamo Patriarchæ tanquam authori tribuunt) *sub. fin. pag* 199. *& seqq.* edit. Rittangelii leguntur de XXII literis, quæ in tres matres אמש septem duplices בגד כפרת & duodecim simplices הוז חטי לנסעצק dividuntur. Hæc autem tanquam magna mysteria exposuit quoque & commendavit Regi Cosareorum Judæus *Isaacus Sangarus* in libro *Cosri Part.* 4. *pag.* 301. *& seqq.* Ubi inter alia expressè *pag* 303. *quòd figuræ literarum non sint tales sine certa intentione aut per accidens, sed propter rationem aliquam cum intentione uniuscujusque literæ convenientem.* *Reuchlinus* etiam in hoc argumento prolixus est *lib.* 3. *Cabbalæ*, ubi singulas Alphabeti literas symbola facit rerum & totum Alphabetum Hebr. ex Cabbalistarum mente in tres ordines dividit. Quorum primus ab א ad י nominatur עולם המלאכים sive *mundus angelicus*, alter à litera כ ad literam צ vocatur עולם הגלגלים *mundus orbium* seu *sphærarum*, ultimus verò à ק ad ת quatuor elemẽta cum suis formis & simul omnia mixta tam animata quam inanimata complectitur & appellatur עולם הסיודות seu *mundus elementorum.* Imò id ipsum quod Helmontius hoc figmento suo quærit, nempe ut ipsos literarum characteres vivos & singulari virtute præditos reddat, pridem Judæi literis suis adscripserunt, licet nunquam somniarint istos diversis linguæ motibus depingi. Huc refer dictum R. *Samuelis Arcuvolti* in libro *Arugas habbosem* Cl. *Buxtorfio* citatum in *Dissert. de literis Hebr. num* 19 *Accepimus à stantibus in secreto Domini* (Cabbalistis) *quod in Literis his sanctis, tum in figurâ, tum in nominibus illarum, sit spiritualitas & vita quædam occulta : & quòd lux pretiosa, derivata à superis ab eis dependeat.* Quò etiam facit simile Hebræorum de literis suis dictum *ibid.* allegatum. *Non sunt literæ Hebraicæ, sicut literæ aliarum lingua-*

rum

rum: nam vivaces sunt. Adeoque opinio illa Helmontii de præstantia & vivacitate literum Hebraicarum ex lacunis Cabbalisticis hausta est. Hanc autem qua ratione novo commento stabilire conetur nunc expendere constitutum. Summa sententiæ ejus est, quod *sanctissima Hebræorum Scriptura in se nihil aliud sit quàm variorum humanæ linguæ motuum artificiosa repræsentatio, inque hoc ipso propriè loquendo ejus natura consistat nec in alio quoquam consistere possit,* uti loquitur *pag.* 6. Quam pluribus, non tamen clariùs, exponit *pag.* 10. Ratio palmaria quam *pag.* 6. urget, hæc est. *Si Hebræorum* Scriptura *fundamento ullibi niteretur alio, annon æquè temeraria, vana atque muta foret, ac omnes omnium linguarum Scripturæ aliæ, ne unicâ quidem excepta, quarum ne minima quidem debita illa ac genuina rectè scribendi principia in characteribus suis exhibet, ut quis ex sola literarum figura oris linguæque motum cognoscere adeoque exinde vocem articulatam formare queat, quod profectò Hebræa præstat quàm exactissimè? Hæc enim sola est vera ac legitima rectè scribendi ratio, quæ non ex cœco impetu & temerario ductu nata, sed tanquam vox picta sic primitus instituta est, ut sicut loquendi organa internum animi characterem auribus, ita illa eundem, per loquendi organa expressum, oculis subjiciat. Primarium autem loquendi organon lingua est, è cujus vario motu atque illisu loquela oritur: quid ergo si loquela pingenda sit, aliud pingi poterit quàm varia ejusdem linguæ commotio atque configuratio?* Hæc aliquam verisimilitudinis speciem habent, sed levia sunt si paulò accuratius expendantur. Nam 1. Nulla Scriptura *temeraria, vana & muta* est, quamvis linguæ motus non depingat. Quia quælibet alphabeti litera in quacunque tandem lingua certam potestatem exprimit & denotat. Qua cognita, ipsa lingua potestates istas, etiam citra noticiam Scripturæ sonare assueta, facili motu exprimit. 2. Si characteres literarum nil nisi picti linguæ motus sunt, quæro cur non iisdem characteribus cætera quoque sermonis organa depingantur, saltem in istis literis, ad quarum pronunciationem lingua parùm aut nihil confert? Num in illis loquela depingitur, si configuratio ab alio organo petatur quàm ab eo cujus primæ in eâdem sunt partes? 3. Characteres literarum signa sunt diversorum sonorum & potestatis organorum

sermo-

ſermonis. Quæ neceſſitas cogit ut omne ſignum ſit repræſentativum & rationem picturæ habeat? Annon aliud obtinet, in *ſignis* etiam maximè naturalibus, potiſſimum *commemorativis*? Ad quorum claſſem etiam characteres literarum ſuo ſenſu pertinent. Iſti rationi Helmontianæ aliam oppono quæ plus ponderis habere videtur ad evertendam, quàm illa ad ſtabiliendam, hanc *delineationem Alphabeti verè* (ut vocat) *naturalis*. Fictitia eſt, quoniam fictis & gratis aſſumptis hypotheſibus innititur. 1. Supponit linguam eſſe penicillum quaſi quo, & ſimul quoque tabulam in quâ, literarum characteres depinguntur naturaliter, adeoque ſolam hîc conſiderari debere. Hinc aliquoties unicè hanc nominat quaſi ſola eſſet loquendi organon. Sic *pag. 3. Non alia habent Surdi iſti intelligendi principia quàm diverſas in mota loquentium lingua configurationes.* Et *pag. 4. literas per vivum loquentium motum à lingua duci atque formari.* Et *pag. 6. Hebræorum Scriptura in ſe nihil eſt aliud quàm variorum humanæ linguæ motuum artificioſa repræſentatio.* Et *pag* 10. *totam Scripturam ſacram formatam eſſe non niſi ex figuris diverſorum humanæ linguæ motuum.* Sic etiam *pag.* 18. ſola commemoratur *accurata linguæ noſtræ conſideratio*, non ullius organi præterea. Atqui tamen ipſemet Helmontius fateri tenetur quod *labia, genæ, mentum, jugulum ſimilesque partes earumque motus* quoque ad ſermonẽ aliquid conferant *pag.* 2. quod ex literarum figura *oris linguæque* motus cognoſcendus ſit, quodque ex linguæ vario motu *atq; alliſu* loquela oriatur *pag.* 6. quòd denique *circa motus linguæ atque oris perpetua exiſtat conſonantia, pag.* 24. Qui fit ergo, quòd configurationes ad ſolam linguam reſtringat & ab eâ ac in eâ ſolâ velit characteres literarum depingi? An quia *primarium loquendi organon* eſt, uti *pag.* 6. loquitur? Utique id non eſt in cujuslibet literæ pronunciatione ſingulari, ſed in toto ſermone, ubi varii ſoni celerrimè commiſcentur. Unde non minus verè quàm eleganter *Lactantius* de *Opificio Dei cap.* 10. *Lingua intus incluſa, quæ vocem motibus ſuis in verba diſcernit, & eſt interpres animi, nec tamen ſola poteſt per ſe eloquendi munus implere, niſi acumen ſuum palato illiſerit, niſi adjuta vel offenſione dentium, vel compreſſione labiorum. Dentes tamen plus conferunt ad loquendum, Nam & infantes non ante incipiunt fari, quàm*

dentes

dentes habuerint: & senes amissis dentibus ita balbutiunt, ut ad infantiam revoluti denuo esse videantur. Nec frustra Hebræi literas Alphabeti sui ratione organorum distinguunt in *gutturales, labiales, palatinas, linguales,* & *dentales*. Quæ distributio adeo antiqua est, ut etiam eandem Abrahamo Patriarchæ adscribant. Nam in *libro Jetzira cap. 2. Sect.* 3. legitur : עשרים ושתים אותיות יסוד הקוקות בקול חעובות ברוח קבועות בפה בחמש מקומות אחהע בומף גיכק דטלנת זסשרץ: h. e. ex versione Rittangelii. *Viginti & duæ literæ fundamenti exaratæ in lingua, exsculptæ in spiritum, fixæ in ore in quinque locis,* אחהע (gutturales) בומף (labiales) גיכק (palatinæ) דטלנת (linguales) & זסשרץ (dentales .) Ubi quoniam dicitur *literas exarari in lingua,* ne id Helmontius pro suo commento arripiat, necessariò monendum est, peccasse in istis verbis interpretem nec satis fideliter versatum. Longè melius sensum eorundem expressit Cl. *L'empereur* in *Annotat. ad Grammat. Mosis Kimchi pag* 11. *Insculpuntur sono, eruuntur spiritu, infiguntur ori,* & commodè ad exegesin subjecit : *quasi dicas , literæ efferuntur voce quâ organorum beneficio formantur; animus autem sive spiritus est prima causa unde eliciuntur; at os ὑποκείμενον est, ubi earum pronunciatio subsistit.* Nam קול & לשון differunt. Nec alia est mens *Aristotelis* quando *lib. 2. de Part. animal. c.* 17. scribit, hominem habere *linguam absolutam, mollissimam & latam* πρὸς τὴν τῶν γραμμάτων διάρθρωσιν h. e. *ad literarum articulationem.* Igitur malè supposuit Helmontius, characteres literarum ab & in linguâ unicè depingi. Potius totam oris configurationem attendisset ac pro diversitate usus organorum in pronunciatione, etiam discrimen in figuris literarum collocasset, aut dixisset, pingi easdem in aëre crassiori, quod ipse *tempore hyberno ex exhalatis visibiliter vaporibus* deprehenderit *pag.* 4. Credi enim tum potuisset, eum beneficio peculiaris cujusdam microscopii acutius hic cæteris vidisse, & quæ nusquam sunt detexisse. At 2. non meliori jure supponit, motum linguæ, veluti in horologio aut bilance, certis quibusdam legibus adstrictum esse, quas ipsi assignat axiomatibus istis, quæ *pag.* 24. leguntur. Ubi non tantum linguam *in 4. partes dividit, mucronem nempe, post mucronalem ante-radicalem & radicem,* nullo jure aut fundamento, nisi ut figmento suo inserviat, sed

etiam linguæ tribuit quietem quandam & motum naturalem in ascẽdendo & descendendo, secundùm axiomata, quæ ipse *præscribit pag.* 23. Nam motus linguæ liberrimus est & ab arbitrio loquentis pendet, qui linguam suam prout vult flectere potest & reflectere. Quod ipsius Helmontii verbis confirmatur sic scribentis *pag.* 22. *Lingua hæc librata est quasi ossiculo quodam peculiari, quod à forma* Ypsiloides *dicitur, ut super illo tanquam hypomochlio quodam, ordinatissimo semper motu levari atque deprimi inque omnes pro lubitu partes torqueri queat.* Unde factum, ut linguam πηδαλίῳ seu gubernaculo navis compararit Jacobus Apostolus *cap.* 3. *vers.* 4. 5. & *Agapeto in Parænet. ad Justinianum Cæsarem cap.* 54. εὐόλισθον τὸ τῆς γλώττης ὄργανον *lubricum admodum linguæ instrumentum* cõmemoretur. Quò etiam sententia *Isocratis* spectat, quando monet *in Parænes. ad Demonic.* πρότερον ἐπισκοπεῖν τῇ γνώμῃ· πολλοῖς γὰρ ἡ γλῶττα προτρέχει τῆς διανοίας. Imò omnia illa quæ adversus linguæ præcipitantiam ab Ethicis urgentur, istum linguæ liberrimum motum supponunt, qui totus ab animi impetu dependet. Sed 3. ipsa jam axiomata illa si consideremus, quid aliud sunt, quàm figmenta? *Axom.* 8 *&* 9. tanquam certum supponunt ipsum κρινόμενον, de quo controversia est. *Axioma quidem* 8 ita habet. *Omnes motus linguæ, qui in efformatione unius Literæ concurrunt, ejusdem figura sive charactere exprimuntur. Axiom.* 9. verò. *Quamvis in compositis ad formandã totam dictionem literis non omnes illi motus ad finem perducantur, quos lingua exercet in formãda litera nuda, omnes tamen in figura literæ semper expressi manent, charactere non diminuto.* Quis hæc illi largitur? Quis concedit, plures esse linguæ motus, in efformatione unius literæ, cùm ne quidem omnes literæ sigillatim pronunciandæ ullum linguæ motum desiderent, sed quædam aliis organis efferantur? De quo mox aliquid in specie. Tum *axiom.* 4. 5. *&* 6. nituntur hypothesi præcedente, cujus falsitas modò est ostensa, atque simul ab experientia refutantur. *Axiom.* 4. ita sonat: *Lingua ore aperto in imum deducta, eodem sese claudente, naturali motu iterum ascendit in quietem.* Cur, *ascendit?* Cur non potius, *sensim retrahitur?* Sensu careat oportet qui id velit negare. Tenta & ore aperto linguam deduc in imum. Adsit voluntas non retrahendi eandem, & tum vide num naturali mo-

tu in quietem sit ascensura, si vel maximè os claudere coneris? Parratio est *axiom.* 5. *Lingua cum impetu in altum compulsa, cum impetu quoque descendit, & profundius quidem quàm ad locum quietis; unde naturalis ejus motus tum demum redit, cum exinde ad quietem ascendit.* Cur, *cum impetu descendit*? Quid si is, qui eam cum impetu in altum compulit, velit eam sensim demittere, aut affixam palato tenere? An tum cum impetu descendet? Imò annon huic axiomati contradicit *axiom.* 3. æquè falsum: *Lingua in sublime elevata nullâ adhibitâ vi, sponte per naturam descendit in quietem.* Non potest lingua in sublime elevari, nisi vis quædam adhibeatur & cum impetu aliquo in altum compellatur. Quod si tum *sponte per naturam descendit*, quomodo dici potest eam *cum impetu descendere*? Nec verius deniq; est *axiom.* 6. *Lingua cum impetu antrorsum compulsa, cum impetu quoque retrorsum cogitur, inde verò naturali demum motu in quietem redit.* Cur, *cum impetu retrorsum cogitur?* Quid si lubeat illi qui eam cum impetu antrorsum compulit, sine impetu eandem sensim retrahere? Num id adeo difficile erit, aut impossibile? Frustra sanè hæc axiomata præscripsit & eos linguæ affinxit motus naturales, qui facilimè prout visum est loquenti mutantur. Verùm 4. & ultimò id quoque supponere debet, quòd primus inventor literarum Hebraicarum vel ad speculum locutus sit idque singulas literas exprimendo lentè, uti homines qui sibi in gesticulationibus suis mirè placent, ad speculum saltare solent quandoque & mimos agere: vel saltem adeo perspicaci visu præditus fuerit, ut potuerit motus varios in lingua hominis loquentis (qui in singulis literis ad finem non perducuntur juxta *axioma* 9.) ita tamen discernere, ut quamlibet literam exprimeret. Quorũ prius si dixerit, (& videtur id sanè effigies in titulo expressa subindicare) *sanctissima Hebræorum Scriptura* (*pag.* 5.) inventorem habebit mimum & hominem φαντασικόν. Probandum etiam ipsi incumbet, jam ante Abrahami tempora, qui istas literas *secum ex Chaldæa detulit* (*pag.* 15.) aliquem speculorum usum fuisse. Sidon quidem horum inventrix juxta *Plin. Hist. Nat. lib.* 36. *cap.* 26. Sed quando id factum fuerit non constat. Posterius verò si malit, Lynceus fuit, quisquis istos characteres ex observato linguæ motu primus delineavit, quem nec labiorum nec dentium obstacula in isto conatu

impedivere, præsertim in literis quæ os claudunt, nec possunt ore aperto satis commodè proferri. Frustra enim monet author carminis quod dedicationi Helmontianæ præfixum:

Sic poterit Scriptura legi, sic norma sciendi est:
Natura hæc CLARO nos jubet ORE loqui.

Siquidem quantumcunque ore claro loquamur, tamen ut linguæ motus observetur, vel in singularum literarum pronunciatione lenta, haud possibile, tantum abest ut id possit ex integro sermone colligi. Quæ omnia cùm fundamentū istius *Alphabeti Helmontiani* evertant, ipsum quod superstruitur ruat necesse est.

Si enim in specie singulas literas istius *Alphabeti naturalis* expendamus, & motus linguæ quos cuivis illarum assignat, patebit, ne unicam quidē delineari, quin contrariū ejus quilibet apud se possit experiri. Contorta sunt omnia, præsertim quando etymologiā nominū literarū quoq; eò rapit, quorū nonnulla satis evidenter sunt ex similitudine characterū cum aliis rebus desumta. *Sic* ו *uncū* significat & unci figurā habet. Sic ע *oculū* notat & eum figurâ imitatur. Alia verò facti tia ex sono expressa, qui in quibusdā ex potestate duarū literarum cōponitur. V. g. ר sonū habet ex stridore & sibilo mixtum atq; exinde *Resch* vocatur. Ita פ præter potestatē sibi propriā, aspirationē quoq; includit, & hinc *Peh* dicitur. Plura qui de istis etymologiis desiderat *Reuchlin. lib. 3. Cabb. pag.* 533. *Cevallerii Rudim. linguæ Hebr. sub init. Petri Martinii Technologiā Gram. Hebr. pag.* 71. *& seqq.* aliosq; consulat, ac videbit veram esse assertionem *Buxtorfii in Thesaur. Gram.* scribentis. *Nominū literarum alphabeti etymologia, quam vulgò afferunt, partim incerta vel nulla est, partim non multùm ad accuratiorem ipsarū cognitionē facit.* Nec potuit id dissimulare *Helmontius* ipse *p.* 81. ubi de *Resch* agit & in omnes formas se vertit, ut aliquid dicat. Sed ut appareat speciatim quantopere somniis in ista *delineatione Alphabeti naturalis* indu serit, dum nescio quas linguæ elevationes, depressiones & congeminationes affingit in cujuscunq; literæ pronunciatione, quæ tamen motu uno & facili citra istos ambitus fictitios perficitur: experimentū ex una vel altera litera capiamus. א & ה duo spiritus sunt, ille lenis, hic asper quorum uterq; citra ullum ferè linguæ motum ex pectore & gutture prorumpit. Helmontium tamen si audiamus, miris hic opus ambagibus. Nam licet fassus esset *p.* 57. quòd efformatio &א

ſimplex omnino ſit, tamẽ eandẽ paulò poſt ſic *ex picturâ* potiùs quàm natura deſcribere voluit. *Si linguæ motus* (inquit) *paulò exactiùs conſiderentur tum apparebit, ut in pictura habetur, linguam primò aliquantum extolli è quiete ſua; quia autem hæc litera Pater eſt reliquarum omnium, adeoque & pluribus opus habet perfectionibus, hinc illam per omnes Oris dimenſiones moveri videmus, ut ſemel inchoatum ſui motus circulum debito naturalique ordine abſolvat: hinc aſcenſus ille Lingualis continuatur ad ſummam uſque palati altitudinem, ubi etiam cùm ulterius pergere non liceat mucronem ita adpreſſum aliquantulum dilatari videmus, unde in totâ lingua & poſterius & anterius curvatura quadam exoritur: Hac violentia efficitur, ut juxta ax. 5. tota lingua violenter iterum deſcendat, & quidem longè infra locum quietis ſuæ: & quia illud absque maxima oris apertura fieri nequit, juxta ax. 7. nec lingua in illo ſitu per naturam diu permanere queat, hinc juxta ax. 4. naturali motu iterum aſcendit in locũ quietis, cumque illa maxilla leniter aſcendunt, ceſſante nimirum ut ſolet in fine actionis, impetu: unde etiam tandem non planè clauduntur labia. Hæc,* addit, *uno fermè perfici momento, nec poſſe commodè obſervari, niſi quis, quod facile fieri queat hos motus tardè velit imitari.* Et hinc tandem cõfigurationem ℵ ita deducit, *ut lingua aſcendens medium, palato affixa dextrum, & tandem ad quietem revertens ſiniſtrum locũ occupent.* Quàm frivolè, res ipſa loquitur. De nomine Aleph quæ ſubjicit non addo, quoniam piget nugas haſce deſcribere. Paucis ſaltem quid de litera ה tradat audiamus, quam *pag. 66.* dicit *cognitione ſpecifica literæ Aleph affinem eſſe.* Rurſum ad *figuram* magis, quàm ad naturam attendit. *In formatione ejus* (inquit l. c.) *linguæ ſitus eſt ut figura habet; in media nempe exaltatione protenſa eaq; expiratione facta, ad quietem iterum tendit & cum aliquali oris dilatatione deſcendit, atque ita figura literæ ex elevatione & deſcenſu linguæ componitur.* Æquè videlicet eleganter ac præcedens. Atq; ut paucis comprehendam quæ in iſtius Alphabeti naturalis delineatione in ſpecie deſidero; probandum incumbit Helmontio, non tantùm, *omnes iſtos linguæ motus in pronunciatione cujuslibet literæ ſatis aptè fieri poſſe*, ſed etiam, *neceſſariò fieri debere.* Quorum utrique cum experientia repugnet, non eſt quod diutius huic commento immoremur. Eſt enim hic eſſentialis, non *accidentalis defectus* quem agnoſcit *pag. 54.*

II. Probatur, quod hoc *Alphabetum Naturæ*, nec ad faciliorem

linguæ Hebraicæ cognitionem, nec ad ſenſum vivum eruendum quicquam faciat.

Author præfationis *lectores etiam atque etiam rogat, ut temerarium illud & præcox judicium circa rem tanti momenti tantiſper ſuſpenſum teneant, donec pauciſſima hæc folia probè perſpexerint lucemq; veritatis, quæ procul dubio non diu illos latebit, ſenſim in ſe admiſerint.* Idem inculcat Helmontius, qui *ſub fin. omnia liberrimo cujuscunq; judicio exponit*, ſic tamẽ ut *pag.12. Lectorẽ admonitũ eſſe velit, ut ſicut modeſtè omnia proponuntur, ita modeſtè quoque eadem tractet, nec rudes illas informesque figuras priùs condemnet, quàm earum ſimul explicationem perlegerit, totamque rem ſimul ſumtam exactè perpenderit.* Geſſi morem iteratæ obteſtationi, bis terve folia iſta percurri, ut perſpicerem, quid tandem ferret dignum tanto promiſſor hiatu, qui hoc ſuum εὕρημα etiam Magni nominis Principi tanquam κειμήλιον auſus eſſet commendare. Sed, ut verum fatear, nihil in eo offendi veritatis, nihil lucis, niſi forſan qualem ignes fatui emittere ſolent. Finis reſpondens principio detexit, quid de medio eſſet ſentiendum. Diſquirebat Helmontius *quid faciẽdum eſſet, ſi eum vivere oporteret in Inſula quadam, in quâ non niſi homines à nativitate ſua ſurdi habitarent, ut vitam ducere poſſet cum optima converſatione jucundiſſimam*, & hinc *occaſio talia cogitandi ipſi nata eſt. pag.* 107. & 106. Propoſitum forſan erat huic *Eremitæ peregrinanti* novas terras detegere, aut relegationem potius in aliquam inſularum metuebat. Nam qui aliàs homini cui ſanum eſt ſinciput, talis otioſa conſultatio in mentem veniret? Ex notis Inſulis hodie nulla datur quæ ejuſmodi incolas habeat. Et inter ignotas quoque talem haud reperiri, mihi perſuaſiſſimũ eſt. Tum ſi vel talis daretur, quot non figmentis & circumſtantiis opus eſt, priusquam is caſus poni queat, quẽ meritò ridiculum dixero? Itaque fictitia cum ſurdis converſatio chimæricum hoc Alphabetum peperit. Quod hoc nomine potiſſimùm commendat author, quia faciliorem methodum ſuppeditat Linguam Hebræam addiſcendi & ad eruendum quoq; ſenſum vivum (quem fingit) imprimis facit ac viam ſternit. Utriusq; autem falſitatem paucis, clariſſimè tamen, oſtendere animus eſt.

1 Jactare Helmontium aliquid facilitatis hoc Alphabetum afferre linguam Hebræam diſcentibus, docent ea quæ Colloquio 1. diſſerit, & imprimis exemplum *Muſici ſurdi*, quem (ut majus videatur miraculũ hominibus imperitis) *ſimul & viſus hebetudine & membrorum tremore*

ait *laboraſſe*, qui tamen *proprio Marte linguam Hebræam brevi admodum tempore perdidicit idq́ʒ poſtquã hâc methodo literas combinare atqʒ legere didiciſſet, non niſi conferendo Biblia Hebraica cum Germanica verſione; jamq́ʒ accedente nimirum exercitio, adeò in his perfici cœpit, ut totã Scripturam Hebraicam intelligat*. Non examinabo ea quæ de concilianda loquela illis qui ſurdi nati ſunt tradit, licet id præ cæteris falſũ ſit, quòd hi ſurdi alios loquentes *quaſi legendo* intelligere queant *p*. 2. & quod *nõ alia habeant intelligendi principia, quàm diverſas in mota loquentium lingua configurationes p*. 3. cùm ipſe Helmontius fateatur, quod *linguã, labia, genas, mentum jugulum ſimilesq́ʒ partes* obſervent, quas inter, *oculos* indices animi primo loco commemorare debuiſſet. Id ſaltem noto 1. Hiſtoriam iſtam mihi ſuſpectam eſſe. Surdis fabulã narravit, ut Thaumaturgus videretur. Reticentur nomen Muſici & omnes circumſtantiæ loci, temporis, perſonarum, per ſummam credo modeſtiam. Non exprimitur, an hic ſurdus à nativitate fuerit? Tum viſus hebetudo rem planè reddit incredibilem. Qui etiam novit, quantis nævis verſio Germanica ſcateat, & quid ad illud requiratur, ut quis *totã Scripturam Hebraicam intelligat*, is eo demum ſenſu hanc hiſtoriam credet veram eſſe, quo Luciani narrationes veræ inſcribuntur. 2. Non poſſe iſta methodo quenquam juvari in addiſcenda lingua Hebræa, ſive ſurdus ſit, ſive non, tum quia hæc à pauciſſimis addiſcitur ut loquantur Hebraicè & loquentes intelligant, tum etiam, quia diſcrimen inter literas vicinas v. g. ד & ת aut ב & פ non ex motu linguæ ſed aliis organis, dentibus puta vel labiis compreſſis, eſt oſtendendum. Atque iſta de pronunciatione præcepta linguis omnibus communia ſunt.

2. Quoniam hoc alphabetum ſaltem rudimentum eſt operis majoris ac omnia ad *vivũ illum Scripturæ intellectum*, quem *pag* 98. deſcribit, eruendum diriguntur, probandum quoq; quod uti vivus ille (quẽ vocat) Scripturæ intellectus fictitius eſt, ſic & alphabetũ hoc nihil ſenſui eruendo inſerviat. Quod Myſtagogis familiare id etiam in Helmõtio obſervo. Sermone utitur obliquo & ita nobis illum *ſuũ vivũ intellectum* deſcribit, ut aliquid adhuc relinquat divinandum. *Grammaticam naturalem* promittit *pag*. 94. ſed, adeò obſcurè, ut, interpretem deſiderẽ eorum quæ l. c. leguntur. *Hic* (ait) *neceſſe eſſet ut poſt declaratum Alphabetum naturæ quoqʒ proponeretur* Grammatica Naturalis, *(de quâ tamen fortè alio tempore) quia autem de rebus ipſis hic agere extra propo-*

ſitum foret, ideo de linguâ S quoq́; parùm hic proferri poterit Quomodo enim hæc cohærent? Lectori cogitandum relinquo, qualis illa futura ſit Gram̃atica in quâ de rebus ipſis agatur. Mira ſanè erit ſyntaxis quæ de radicum compoſitione ex tribus literis, illarum poſſibili multiplicatione & efficacia tantũ pronunciationis aget, quæ animos percellat & affectus moveat. Neq; enim aliud ex *Colloq.* 7. colligere potui. Imprimis explicet velim, quomodo is *qui juxta hoc Alphabetum naturã ipſius linguæ Hebraicæ paulò exactiùs cognovit*, inde *ſignificationes vocum* haurire queat uti *p.* 98. loquitur. Annon ſignificationes vocum ex uſu & conſenſu Scriptorum & loquentium dependent, non demum ex Alphabeto petendæ vel ejus beneficio eruendæ? Enthuſiaſtam agit, quando *p.* 98. vult *in homine ſenſim vivã quandam imaginẽ atq́; ideam ipſarum rerũ generari, quæ per viva illa verba eorumq́; congruã ubiq; ſyntaxin, tam concinnã atq́; vivã adipiſcatur harmoniã, cum tanta activitate atq́; energia conjunctã, ut tandẽ in ipſã vocẽ erumpat, vitamq́; ſuã, quæ antea in animo tantũ ceu matrice concluſa erat, palàm præbeat conſpiciendã.* Quando itẽ *pag.* 100. ſcribit de *ſemel conceptâ animo ſenſus ſacri ideâ*, quod *homo illius beneficio gradatim quidẽ ſed propriè tamen ad perfectã veritatis cognitionem pervenire poſſit.* Si ſenſũ Scripturæ ex noſtris ideis vult petere cũ Exercitatore paradoxo hâc ſanè interpretabitur pro lubitu. Si vivus ille intellectus à vivacitate pronunciationis & ſermonis dependet, quo quis vocalior, eo melior erit Scripturæ interpres. Dedit *Hieronymus in proœm. Comment. in Threnos* myſticã Alphabeti Hebraici interpretationẽ, quæ hiſce ſymbolis includitur. *Doctrina domus, plenitudo tabularũ. Iſta & hæc vita. Bonũ principiũ. Manus cordis* ſive *diſciplinæ. Ex ipſis ſempiternũ adjutorium. Fons* ſive *oculus oris juſtitiæ. Vocatio capitis, dentiũ ſigna.* Dedit autẽ eo fine, ut oſtenderet *non fruſtra à propheta juxta ſeriẽ literarũ hæc edita eſſe: ſed univerſa quæ ſcripta ſunt, ad Chriſti & Eccleſiæ pertinere Sacramenta.* Huc ſi ſtudet imitari Helmontius, magni quidem Doctoris veſtigiis inſiſtit, ſed eâ via quâ aberrat. Certũ quoq; quod melior ſit opinio, in quâ *tempore cæcitatis ſuæ* (quæ phraſis Enthuſiaſmi Characteriſtica eſt) *ſe* ait *fuiſſe p.* 97 quàm hæc in quã *per ſomniũ* incidit, *meritò ridẽdus ab omnibus, qui vident* nullã *totius S. textus literarũ*, ſive *vitã habere*, ſive *demonſtrare*, atq; ſimul rogant, ut explicet, anne Novum Teſtamẽtum litera mortua ſit, aut quid de ejus vivo intellectu ſentiat? Qui & eũ jubent tandem evigilare atque à ſurdis ad audientes tranſire.

DISPUTATIO TERTIA

Ad

CREATIONIS HISTORIAM MOSAICAM.

Examen defenſionis Cabbalæ Morianæ continuatur. Objectiones adverſus hanc unà cum reſponſionibus D. Mori ventilantur ex Appendice defenſionis. Infirmitas harum oſtenditur & robur iſtarum confirmatur, quoad numeros Pythagoricos eorumque varia epitheta. Hypotheſin de motu terræ à Judæorum traditione alienam eſſe, probatur, & fruſtra citari templum Veſtæ à Numa erectum, quaſi veſtigium eſſet iſtius hypotheſeos à Judæis admiſſæ. Materia metaphyſica, quæ primæ diei opus inter alia conſtituitur à Cabbaliſta, ſic excutitur, ut ceu fictitia & heterogenea rejiciatur.

ciatur. Terræ ante solem creatio & opera quintæ ac sextæ diei vindicantur. Sententiæ diversæ de modo & ordine creationis ex mente Pythagoræ, Platonis, Cabbalistarum Judæorum & Cartesii, distinctè recensentur, atque hinc evincitur, non posse, citra violentiam & repugnantiam, opiniones adeo discrepantes in unam Cabbalam compingi, quin hæc malè cohærens nullo negotio dissolvatur. Idem ostenditur pluribus, & examen generale istius Cabblaæ Philosophicæ concluditur.

EX diverticulo in viam, & ab Alphabeto Helmontiano ad Cabbalam Morianam revertamur. Fundamentum ejus in superioribus subversum est, & responsum pluribus ad ea, quæ in defensionem fuerant ab authore prolata. Unde incertitudo ejusdem & vanitas satis elucet, quæ hypothesibus gratis assumtis & figmentis tota innititur. Nec videtur aliquid ultra desiderari, ut hoc commentum ab omnibus, ipso etiam Cabbalista, ni datâ operâ cæcutire velit, explodatur. Quia tamen is in *Appendice Defensionis*, editionis secundæ Operum anni 1662. plura ad confirmationem addidit, quæ in primâ editione *Conjecturæ Cabbalisticæ*, qua usus sum hucusq;, non extabant, & magnâ confidentiâ rem egit, suaque commenta ab objectionibus quæ videbantur opponi posse, defendit: ista quoque excutienda sunt, ne quid intactum maneat, quod cum specie aliqua profertur. Quoniam etiam hæc ipsa Cabbala Philosophica, in cujus examine versamur, χάος est, metaphysica Physicis miscet, Pythagoræ & asseclarum, Platonis & Judæo-

Judæorum atque Cartesii traditionem vel opinionem de ortu universi & modo creationis confundit, quasi convenirent per omnia: discrimen insuper sententiarum ostendendum restat, quò Cabbalam, fictitio saltem nexu cohærentem & sponte suâ, veluti arena sine calce, diffluentem, nullo negotio dissolvamus atque ita generali ejusdem examini finem imponamus. Duabus verò sectionibus omnem istam disquisitionem complectemur. Quarum una *Objectiones quasdam ventilabit*, quæ à D. Moro *in Append. Defens.* proponuntur & refutantur. Altera, *de Pythagoræ, Platonis, Judæorum & Cartesii, diversis, circa* κοσμοποιΐαν, *opinionibus aget*, malè in unam Cabbalam compactis, discrepantiam illarum ostendet, atque conclusionis loco, ὡς ἐν τύπῳ, vanitatem istius conjecturæ Cabbalisticæ delineabit.

Sectio I.

De objectionibus quibusdam adversus hanc Cabbalam, ad quas D. Morus *in Append. Defens.* per occupationem respondere conatus est.

Septem objectiones, dictæ *Append. cap. 2. §. 1.* recenset, quas putat præ cæteris, si non solas, considerationem mereri. Sunt autem sequentes.

1. *Tam Pythagoricos numeros, quàm numerorum epitheta, inadæquata esse respectu creationis* ἑξαημέρου.
2. *Philosophiam Pythagoricam non exactè respondere Cabbalæ Judaicæ, cùm Judaici Scriptores* motus terræ *haud meminerint.*
3. *Interpretationem operis primæ diei heterogeneam esse respectu reliquarum, dum solum hoc opus constituitur esse symbolicum.*
4. *Ordinem Cabbalæ esse præposterum, dum terram Soli præponit.*
5. *Opera quintæ & sextæ diei nimis vulgaria & trivialia esse, quàm ut sint materia Cabbalæ Philosophicæ.*

6. *Inexcusabilem* ὑστερολογίαν *committi, quando Paradisus supponitur ante formationem Adami plantatus.*

7. *Duram esse interpretationem* Cheruborum & flammæ gladii sese vibrantis, *dum medium constituitur recuperandi ab Adamo paradisi, id ipsum, quod eundem inde videtur arcere.*

Harum objectionum duæ postremæ, ut & D. Mori responsiones ad easdem, suo loco relinquuntur, quoniam de historia creationis & cap. 1. Gen. saltem agimus. Quod cæteras verò spectat, notandum in genere, esse objectiones à talibus demum formandas, qui Pythagoricæ sapientiæ & gentilium mysteriis multùm deferunt, ac præ istâ, Mosis simplicem narrationem despiciunt. Quibus D. Morus (quàm rectè supra ostensum *pag. 9. & 93.*) largitur istam præclaram sapientiam, tanquam θεοπαράδοτον *Append. cap. 2. §. 3.* adeoque magis laborat, literam Mosis cùm istâ profanâ gentilium sapientiâ conciliare, quàm hanc, ad eandem literam exigere. Quæ methodus quàm præpostera (ne dicam impia) sit, aliquoties monitum & res ipsa loquitur. *Zanchius lib. 1. de Oper. Dei visibilibus cap. 1.* hanc regulam præscribit Philosophorum libros legentibus, animo inde S. Literas illustrandi, *ut ne ad eos torqueantur Scripturæ: sed contra illi ad Scripturas, tanquam ad lapidem Lydium examinentur.* Quam tamen nec ipsemet satis observavit, nimiùm Aristotelicis principiis addictus. A D. Moro autem eadem regula negligitur planè & spernitur, qui mysteria sua Cabbalistica *vim inferre* cõtextui Mosaico non diffitetur *Append. cap. 6. §. 2.* ac disertè scribit, *textum Mosis, solummodo esse penu memoriæ & mysticæ occultationis, non verò librum naturali & accuratâ methodo digestum. Qui tamen nihilominus utilis sit, ut occasionaliter impertiatur hæc mysteria illis qui iisdem digni habebuntur. Append. cap. 10. §. 2.* Ut hinc denuo non obscurum sit, idem ipsum de præstantiâ & interpretatione S. Scripturæ sensisse cum Exercitatore paradoxo, cujus impietas supra detecta & rejecta fuit *pag. 48 & seqq.* Unde nec mirum, quod responsiones Morianæ prædictis objectionibus haud satisfaciant & novis commentis sint refertæ. Id quod liquidò apparebit, ubi easdem comparaverimus sigillatim, quod jam aggredimur.

Objectio I. bipertita est.

Tam 1. Pythagoricos numeros, quàm 2. numerorum epitheta, inadæquata esse respectu creationis ἑξαημέρου.

Prior pars, de *numeris Pythagoricis* agit, & sic exponitur paulò pòst §. 2. *Pythagorici numerorum mysteria ad denarium usque continuarunt. Sex autem saltem sunt dies creationis. Ideoque huic creationi ἑξαημέρῳ nihil negotii est cum istis numerorum mysteriis.*

Quæ malè cohærent, prout nil ferè magis quàm lumen Logicum in toto isto discursu Moriano desideratur. Dum objectiones obscuræ propositæ, obscuriùs solvuntur, nec presse, sed per digressiones & heterogenea respondetur, ut mox patebit. Itaque vis argumenti & robur objectionis distinctius & clarius proponendum est. Quod eò tendit, *Si Pythagorici in suis numerorum mysteriis ad historiam creationis respexissent, & numeri ipsis fuissent operis cujusque diei symbola, tum substitissent in* senario. *Hic ipsis potius fuisset δέκας dictus quàm* denarius, *utpote reipsa δέχας seu numerus omnia creationis opera comprehendens. Atqui hoc non est factum ab ipsis, sed potius contrarium. Ergo nec ad historiam creationis Mosaicam respexerunt, nec numeros ceu symbola operum adhibuerunt.*

Respondet 1. *Nil id præjudicare. Sive enim supponamus, quod Hieroglyphica numerorum in usu fuerint ante Cabbalam Mosis, & quod primus author ejusdem, totidem numeros adhibuerit; (prout is qui scribit, non plures literas adhibet quàm ad propositum faciunt) sive arbitremur, quod primus author Cabbalæ hæc numerorum Hieroglyphica invenerit, & quod post eadem numerorum mysteria ad scopum viliorem fuerint traducta: neutra hypothesis obstat. Nam* (inquit) *num sequitur, quia Moses sex saltem numeros tanquam notas Hieroglyphicas adhibuit, ut essent signa commemorativa naturæ talium vel talium phænomenων mundi, quòd ideo illi, qui istius Cabbalæ participes fiunt, nunquam utentur phantasiâ suâ, in extendendis his numerorum mysteriis & idolis ad alia? ne quidem, quando progressu temporis primum scopum horum Hieroglyphicorum perdiderant, & per ignorantiam & oblivionem nesciebant, quænam prima eorundem fuisset occasio?* Tum urget, *quod isti sex numeri dierum adeò exquisitè significent*

ficent opus cujusque diei, & quod Pythagorica πτέλακτυς *non possit ullum sensum tolerabilem admittere, nisi statuatur hieroglyphicum quarta diei creationis.* Atque illuc congerit multa, tanquam supplementum eorum quæ dixerat *in Defens. Cabb. Philosoph. ad Gen. 1. 19.* & concludit: *Cùm tanta sit aptitudo applicandi hos numeros Pythagoricos (licet non omnes illos adhibeamus) ad opera sex dierum creationis, id demonstrare, quod philosophia Pythagorica quoad originem mundi quadantenus eadem fuerit cum antiquâ Judæorum Cabbala.*

Verùm ista responsio non satisfacit objectioni. I. Vim argumenti, vel non assecutus est, vel dissimulando neglexit. Non enim quæritur, anne sectatores Pythagoræ potuerint, ea quæ à magistro acceperant, corrumpere, numeros multiplicare, & ad alia transferre significanda, figmenta figmentis addendo? Hoc extra controversiam est. Sed id quæritur, annon admodum verisimile sit, Pythagoram, qui primus author hujus Cabbalæ inter gentiles constituitur & numeros principia rerum dixit, *senarium* potiùs, tanquam mysterii plenum, commendaturum fuisse quàm *denarium*, non *decem* sed *sex* principia traditurum, si ad hexaëmeron respicere voluisset? Si de isto hieroglyphico numerorum hexaëmeri sensu, à successoribus *Moschi Sidonii* edoctus fuisset? Quem nullo jure, ob nudam nominis affinitatem, *Mosen* fuisse, jam supra *pag. 66.* arbitratus fuit cum *Seldeno*. Sive enim hic *Moschus Physiologus* idem sit cum *Mocho Historico*, cujus *Athenæus lib. 3. Josephus Antiqu. lib. 1. c. 4. Tatianus in Orat. adversus Græcos* & hinc *Euseb. Præp. Evang. lib. 10. cap. 11.* aliique tanquam scriptoris Phænicii meminerunt, uti conjicere licet. Sive diversus, ut *Seldeno* placet *lib. 1. de Jur. Nat. c. 2.* Saltem uterque Phænicius fuit, & *Moschus* iste *Physiologus* expressè *Sidonius* vocatur à *Strabone lib. 16. Geograph.* notante *Vossio de Hist. Græc. lib. 3. pag. 390.* & approbante D. Moro *Append. cap. 1. §. 8.* Adeoque cum *Mose* Ægyptio haud est confundendus. Quæritur etiam porrò, annon exinde rectè concludatur, cùm aliud fecerint Pythagoras ipse & Pythagoræi, cùm proportionem geometricam in numeris ipsis, & harmoniam in rebus exinde pendentem spectarint potissimum, eosdem nihil minus cogitasse, quàm id quod Cabbalista fingit?

Qui 2.

Qui 2. non advertit, se principium petere, quando supponit Pythagoræos ista numerorum hieroglyphica ad alia extendisse, præter Cabbalæ primæ vel primi Cabbalistæ scopum, quem perdiderant. Supponit perdidisse, quod necdum probavit habuisse. Imò quod Pythagoræis istis attribuit, id ipsi Cabbalistæ verè convenit. Qui *phantasiâ suâ* nimium quantum abusus est *in extendendis numeris* dierum Hexaëmeri ad *mysteria & idola*, quæ nec Mosi, nec Pythagoræ unquam in mentem venerunt. Nam & 3. Utraque hypothesis, circa originem istius hieroglyphici in numeris usus, obscurè proponitur & est aliena. Quia non de usu hieroglyphico numerorum in genere quæstio est, sed de isto in specie, qui supponitur à Mose in Hexaëmero adhibitus & per traditionē ad Pythagoram delatus. Unde illa tantùm hypothesis, quæ supponit, & numeros ipsos, & istum eorundem usum hieroglyphicum, ab eodem authore provenire, quadrat opinioni Pythagoræ, qui numeros principia rerum dixit, adeoque nihil ante istos concepit prius. Maximè, si primus author author hujus Cabbalæ sit ipse Deus, quem D. Morus putat intelligendum per τὸν παραδόντα τετρακτὺν, in juramento Pythagorico, quamvis in istâ hypothesi jam Mosen substituere videatur. Maximè quoque, si istud simile inter literas & numeros retineamus. Uti enim literæ sunt elementa vocum quæ per se nihil præter potestates organorum sermonis significant, sed conjunctæ syllabas, voces, sententias & totam orationem tandem constituunt. Ita numeri etiam, à Pythagorâ ejusque asseclis ceu prima elementa & principia commendabantur, qui secundum proportionem geometricam conjuncti & multiplicati ortum dederint omnibus, uti infra clariùs patebit. Ex quo consequitur, non tam debuisse D. Morum solicitum esse de origine istius usus hieroglyphici numerorum, quàm de convenientia inter intentionem quam Mosi in numerandis diebus Hexaëmeri attribuit & opinionem Pythagoræ ipsius, circa istos numerorum apices. Adeoque & eundem parùm proficere, quando primùm ex conversatione Pythagoræ cum Judæis colligit, eum quoque sensus secretioris Hexaëmeri non ignarum fuisse. Tum hinc infert, hunc sensum comprehendisse etiam hieroglyphicam aliquam numerorum signi-

ficationem, quia Pythagoras in horum myſteriis prolixus fuit. Et quidem concludit, hanc fuiſſe illam ipſam, quæ per conjecturas vanas & incertas, ſine teſtimonio alicujus hiſtorici, ex epithetis numerorum Pythagoricis elici poteſt. Non obſtante, quod Pythagoras ipſe ultra ſenarium progreſſus ſit, & numeros, non veluti ſymbola hieroglyphica rerũ creatarum ſed tanquam cauſas exemplares & principia harmonica rerum agnoverit. Unde 4. fruſtra jactat Cabbaliſta, exquiſitam numerorum ſignificationem & aptitudinem. Fruſtra, quòd Pythagorica τετρακτὺς non alium ſenſum admittat, quàm quem ipſe fingit. Si enim conferantur illa quæ de hoc *quaternione Pythagorico* ſcripſerunt *Plutarch. in lib. de Iſide* & *de Placit. Philoſoph. lib. 1. c. 3.* & *in lib.* περὶ τῆς ἐν τιμαίῳ ψυχογονίας. *Macrob. lib. 1. in ſomn. Scip. cap. 6. Nicetas in Comment. ad Orat. 44. Nazianzeni, Marſ. Ficinus Com. in Timæum cap. 20. Reuchlinus lib. 2. Cabbal. pag. 474. Selden. de DIs Syris, ſyntagm. 2. cap. 1.* aliique, patebit, quod quævis horum conjectura potius admittenda ſit, quàm Cabbaliſtæ ſomnium. Sive enim Pythagorici, in iſtius numeri myſterio, animam reſpexerint atque ſingularem in eã harmoniam cum iſto numero convenientem, uti *Plutarch. de plac. Phil. l. c.* ex aliorum opinione, & *Macrob. l. c.* ex ſuâ cenſet. Sive *quatuor* elementa indigitarint, ut vult *Nicetas.* Sive numerum XXXVI. qui ex quatuor paribus & quatuor imparibus numeris componitur, deſignarint, quæ *Plutarchi* ſententia eſt, *loc. c.* Aut ipſius numeri *quaternarii* ſingularem quandam perfectionem, omnes numerorum differentias in ſe continentem, ſpeculati ſint, prout *Ficinus l. c.* exiſtimat. Sive denique ad nominis tetragrammati יהוה myſterium, aut tres perſonas S. Trinitatis & unam eſſentiam voluerint reflectere, quorum illud *Seldenus*, hoc *Reuchlinus* putat: nulla harum opinionum adeo aliena eſt, quàm id quod Cabbaliſta arbitratur. Imò auſim propemodũ aſſerere, primam aut tertiam earum vel quartam, à mente Pythagoræorum minimè aberrare. Quod oſtendere, haud difficile foret. Sed ad Cabbaliſtæ opinionem, de magno operum quartæ diei myſterio, rejiciendam, ſufficit, quòd hujus potiorem partem in ſententiâ de *motu terræ* à Pythagoricis creditâ locet, cùm tamen incertum ſit, anne Pythagoras ipſe hunc crediderit, qui iſtam traditionem fingitur à Judæis accepiſſe. De

quo infra pluribus. Frustra igitur tantâ confidentiâ suum commentum D. Morus urget, & hinc *demonstrare* conatur Philosophiæ Pythagoricæ & Cabbalæ Judaicæ *aliqualem* identitatem, quoad mundi originem, cùm aliud longè in quæstione versetur.

Sed respondet 2. *Append. cap.2.§. 5. Plures numeros Denarii Pythagorici* in hoc mysterio *adhiberi, quàm prætendatur.* Septenarius *Sabbathum significat. Et* denarius *ex* tetractу *seu quaternione Pythagorico emergit. Ut sic jam* octo *numeri istius* Denarii *demonstratione evidenti ad Judaicam Cabbalam pertineant. Judæorum quoque antiquam sapientiam in religione suâ* octonarium *ad mysticos usus adhibuisse, id patere ex* circumcisione *ad diem* octavum *determinata. Cùm enim hic numerus sit primus cubus, commodè notari, stabilitatem fœderis, cujus circumcisio signum erat.* Quò refert, *quod* octonarius *Pythagoræis* ἀσφάλεια *seu* securitas *fuerit dictus, quæ per fœdus est. Nec denique* (pergit) *difficile foret, ex S. Literis usum* novenarii *mysticum ostendere, si tanta cura opus esset in materia non admodum consideratione digna. Vid. Phil. Jud.* περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου. *Tantum ergo abest, usum symbolicum* Denarii *tantùm* Pythagoricum *esse, nec ad* Cabbalam Judaicam *pertinere.*

Ad quæ rursum notari debet, nil ad rem facere hæc omnia. 1, Non probat, quod probandum suscipit, plures numeros quàm sex priores *in hoc mysterio* adhiberi. Id enim mysterium, secundùm Cabbalistam est, vel saltem esse debet, hieroglyphica naturæ operum creationis per numeros adumbratio. Ideoque ista quæ producit, heterogenea sunt. Nam 2. in specie, *denarium* ex *tetracty* emergere, quia 1. 2. 3. 4. sunt *decem*, id *satis ineptum & dilutum* est. Quoniam hâc ratione omnes numeri possent ex senario educi. Restat etiam Cabbalistæ dicendum, cujus ergo operis *denarius* symbolum sit hieroglyphicum? Sed & 3. aliena, ne dicam profana, *de die octavo circumcisionis* speculatio. Quæ de hoc instituto divino sic loquitur, quasi inventum esset sapientiæ, vel potius stultitiæ, humanæ, & Deus in isto præcepto ad numeri rationem cubicam respexisset, Pythagoræis quoque ideo is dictus esset ἀσφάλεια. Somnia hæc sunt mera. *Majemonidem* præstat hîc audire, sic scribentem *Mor. Nevoch. Part. 3. cap. 49. Quod octavo*

die fieri jubetur circumcisio, ideò factum est, quia omnia animalia quando recenter in lucem sunt edita, propter summam humiditatem nimis sunt debilia, & ferè non aliter, quàm si adhuc in utero matris essent, idque usque ad finem septem dierum, post quos demum incipiunt numerari inter videntes aërem hujus mundi. Annon vides, idem in bestiis quoque observari, sicut dicitur; septem dies erit cum matre sua; Exod. 22.30. quasi ante illos septem dies, esset abortivum. Sic itaque & homo circumciditur demùm post completos septem dies. Res hæc (ait) *plana est & definita, idcircò ne des locum aliis conjecturis.* Quod si in ipso numero mysterium quæritur, non quidem opus est putare, quod singularis hujus numeri sit perfectio, quia *per duas in se partes ex partibus coæqualis, tum deinde per quatuor æquè partes convenit,* uti *Hilarius in Psal. 118.* philosophatur. Nec opus, cum *Sedulio Hyberno in cap. 2. ad Rom. Bibl. Pat. Tom. 1. col. 864.* ad *futuri seculi mysterium* recurrere. Est enim incertum, an illud *octavum* vel *nonum* futurum sit. Quò spectat disquisitio *Stephani Gobari Tritheitæ cap. 16.* apud *Phot. Biblioth. Cod. 232.* Sed sufficit Patrum quorundam allegoria, qui id *ad diem octavam resurrectionis Christi* referunt. Ita *Cyrillus Alex. lib. 3. Glaphyr. in Genes.* & *Hom. 6. Paschali,* atque ex professo *lib. 4. Comment. in Joh. cap. 7.* κατὰ τὴν ὀγδόην ἡ περιτομὴ, διὰ τὴν ἀνάστασιν τοῦ χριστοῦ Sic *Augustin.* vel quisquis est author *quæstionum ex V. & N. T.* (quæ *Tom.* IV. extant) *quæst. 29.* & *Ambros. lib. 2. de Abrah. cap. 11.* Qui tamen *in Annot. in cap. 12. Levitici* aliam quoque rationem affert magis Physicam. *Octavo* (inquit) *circumciditur die, quando incipit mater pignoris nati in sanguine esse puro, quæ ante octavum diem fertur in sanguine immundo sedere.* Ut sat mysteriorum sit, etiamsi istam *rationem cubicam* & *Pythagoricam* ἀσφάλειαν, quam D. Morus in *octonario* quærit, respuamus. Hæc enim aliò respicit, nempe ad Neptunũ Ἀσφάλιον & γαιήοχον, quem Athenienses *octavis* colebant, uti author est *Plutarch. in fin. Thesei.* Tum 4. nec *octonarius* ita expositus, nec *septenarius* quietem Sabbathi denotans, aut ea quæ *Philo*, loco allegato, de *novenario* tradit, huc spectant ullatenus, ob causam modo dictam. De operibus enim creationis agitur, non aliâ quacunque ratione mysticâ, ab hoc aut illo efficta vel fingendâ.

gendâ. Et quoque ista *Philonis* (qui *novenarii* mysteria *l. c.* ex *novem regibus* colligit, quorum bellum narratur Gen. 14.) adeo remota sunt & levia, ut ne quidem inter conjecturas referri mereantur. Denique 5. id saltem verissimè dictum fatemur; *materiam hanc non admodum consideratione dignam esse.* In quâ tamen placuit Cabbalistæ multas paginas consumere.

Qui & 3. respondet §. *6. Nec Pythagoræos, nec sacros Scriptores mysticum usum numerorum ad primum denarium restringere, sed ad alios quoque magis compositos numeros exspaciari.*

At denuo à scopo aberrat. Quia non de usu mystico numerorum in genere agitur. Sed de eo in specie, quem Pythagorici numeris tanquam principiis, respectu ortus omnium rerum attribuerunt. Hîc enim, si eadem sit Mosis & Pythagoræ sententia, necessum est, ut utrinque par sit numerus notarum hieroglyphicarum, vel saltem evidenti discriminis ratione probetur, isto consensum utriusque & veritatem Cabbalæ neutiquam infringi. Quam Cabbalista nec protulit, nec unquam proferet. Tantum abest, ut *plenè satisfecerit objectioni*, quemadmodum arbitratur.

Posterior pars Objectionis 1. respicit *epitheta numerorum Pythagorica*, atque ita à D. Moro proponitur *Append. cap. 3. §. 1. Licet ista epitheta, quæ* (in Defens. Cabbalæ, ad numerum cujusque diei juxta Cabbalam hanc explicandum) *adducta sunt, satis apta videri queant ad istum scopum, tamen alia eorundem epithetorum, quæ non prolata sunt, forsan esse, vel impertinentia, vel nil significantia, vel pugnantia cum istis quæ producta sunt.*

Quod est objectiones extenuare & has sibi proponere, magis tanquam scrupulos, quàm veras objectiones. Quis enim opponens ita loquitur? Alia *forsan* suppressa esse epitheta, quæ vel impertinentia sint, vel cum cæteris prolatis pugnent. Imò verò res est certa, non multa saltem epitheta Pythagorica numerorum, sed potissimam eorundem partem, quæ intentionem sectæ Pythagoricæ declarat, à Cabbalistæ commentis fortiter abludere. Quid autem ipse ad hæc respondet?

1. Non negat factum. Quo minus tamen id obstet, eâdem quâ supra utitur principii petitione. Negat illa *esse genuina epitheta,*

quæ nihil faciunt ad ejus Cabbalam. *Cumulata* dicit *adeo, cùm primus scopus & usus istorum epithetorum oblivioni esset traditus. Tunc enim* (pergit) *destituti Cynosurâ quâ ducerentur, deferebantur ad quamvis vilem & trivialem convenientiam, quæ inter hunc & illum numerum & hoc aut illud objectum poterat intercedere, prout aër fæcundæ ipsorum phantasiæ eos jactabat, juncto desiderio exucca ista numerorum mysteria, augendi, ut tandem acervum superstitiosæ alicujus scientiæ constituerent.* Idque rursum simili *præcipuorum fidei Christianæ articulorum* illustrat. *Quibus licet innumeræ inventiones humanæ additæ sunt, illa tamen conservata sunt, testimonio S. Scripturæ discernenda. Sic, quamvis varia impertinentia epitheta quoad septem primos numeros ab indoctis & superstitiosis Pythagoricis inventa, vera tamen & utilia retinuerunt, uti apparet, si textui Mosaico juxta Philosophicum sensum aut externam phrasin ejusdem applicentur.*

Quibus rejiciendis prolixâ refutatione haud est opus. Sufficit 1. Quòd denuo principium petat, approbet & reprobet epitheta ista, prout accedunt ad Cynosuram vel recedunt ab eâdem, quam ipse D. Morus finxit, supponendo eorum oblivionē quorum nunquam fuit scientia. 2. Quòd iterum quoque, sub phantasiæ Pythagoræorum imagine, suam ad vivum delineet. Et quòd 3. idem simile repetat, quod Theologo indignum esse, jam supra *pag. 70.* ostensum, atque valde claudicare, res ipsa loquitur. Constat enim, articulos fundamentales Christianismi in S. Literis expressos esse. An verò Pythagorica mysteria in Historia Mosaica lateant aut inde deprompta sint, si non falsum, saltem incertissimum est. Tum & illi *expressi* sunt. Hæc verò *per applicationem* demum, quæ à phantasiâ dependet, eruenda & discernenda. Quæ regula quam fallax sit, nemo non videt atque ipsius Cabbalistæ exemplo confirmatur.

Qui 2. ut isti objectioni satisfaciat, prolixè de hisce epithetis disserit atque ἀγχίνοιαν suam ostendere conatur, in exponendâ eorundem epithetorum ratione mysticâ *cap. 3. 4. & 5.*

At ea sigillatim prosequi & ordine expendere, meritò supersedemus. 1. Quia ipse D. Morus hunc suum inutilem laborem agnoscit talem esse, qualis est illorum *qui fimeta scrutantur. Append. cap. 3.*

cap.3. §.9. In quo eum imitari haud placet. 2. Quia revera inutilis est & frustraneus. Inutilis, quòd nostra nihil intersit scire, quæ Pythagoræi monstra sub epithetis monstrosis abdiderint. Frustraneus, quoniam ne quidem mens illorum in plerisque satis certò erui potest, quòd ambiguitate & obscuritate suâ varias interpretationes admittant. Dubium quoque est, anne ista epitheta omnia sint Pythagorica.

In genere enim de istis observari potest, quod tota ferè eorundem farrago desumta sit ex *Nicomachi Geraseni Theologiâ Arithmetica*, cujus excerpta apud *Photium Biblioth. Cod. 187.* habentur. Quod ipse D. Morus aliquoties eum citans fatetur. Unde verò constat, an quæ iste *Nicomachus* somniavit, omnia ex mente Pythagoræorum scripserit? Aliud exinde colligere licet, quod *Photio* dicitur τῶν Νικομάχου ἀριθμῶν ἡ πολυθρύλλητος καὶ δυσδιέρετος θεολογία h. e. *Decantata & inventu difficilis arithmetica Nicomachi Theologia.* Qui eam δυσδιέρετον vocat, quòd tota περιττολογίαις scateret & saltem erui posset ab eo qui Mathematicarum disciplinarum esset satis peritus. Videtur etiam toto discursu, æquè ac voce πολυθρύλλητος indicare, celebrem hunc fuisse suo tempore authorem. Qui tamen diligentiam suam alibi melius quàm in hisce operosis nugis potuerit impendere. Quid quod vestigia Manichæismi satis expressa, in istâ monstrosâ Theologiâ Arithmeticâ conspiciuntur? Erat *Manichæorum* isto tempore magnus numerus, qui alio nomine *Pauliciani* dicebantur à Paulo Samosateno, Manichææ cujusdam mulieris Callinices filio, ut vult *Cedrenus pag. 356.* vel ab ipso & fratre ejus Johanne simul, uti *Zonaras Tom. 3. Annal. pag. 126.* narrat. Ipse Imperator Nicephorus, istis summo studio deditus, multum contulerat ad sectæ incrementum. *Cedren. pag. 394.* Quæ jam ante propagata fuerat ab Armeniis & Syris, quos Constantinus Copronymus Byzantii & in Thraciâ collocarat. *Cedren. p. 381.* Philosophia, & potissimum Mathesis, auspiciis Bardæ & studiis ac claritate Leonis Philosophi, eodem tempore (nempe Sec. IX.) rursum caput extulerant, *quæ Imperatorum barbarie atque inscitiâ jam à multis annis prorsus obsoleverant & evanuerant*, uti *Cedrenus* p. 449. loquitur & *Zonaras Tom. 3. pag. 129* commemorat. Non mirum ergo, si

ſi & tum reperti fuerint, qui ſtudiis Mathematicis probè exculti ad Manichæos diverterent & horum deliria ſchemate Pythagorico tegerent. Præſertim quoniam de *Scythiano*, qui primus hæreſin de duobus principiis inter illos concepit & per Terbinthum ad Manem derivavit, expreſsè refert *Epiphan. hær. 66.* quòd diſciplinis Græcis inſigniter excultus fuerit & ſic mente excœcatus ſenſerit, λαβὼν παρὰ Πυθαγόρου τὰς προφάσεις *à Pythagorâ ſumens occaſiones.* Quibus *Nicomachum* iſtum non absque ratione annumero. Gemina Manichæorum principia contraria ſatis elucent, ex oppoſitis ſibi Monadis nominibus, ab eodem *Nicomacho* congeſtis, quæ partim Deum, partim materiam reſpiciunt. Inde νοῦς εἶτα καὶ ἀρσενόθηλυς, καὶ θεὸς καὶ ὕλη δέ πως &c. Planè quaſi Manis prologum audires. ἦν θεὸς καὶ ὕλη, φῶς καὶ σκότος, ἀγαθὸν καὶ κακὸν, τοῖς πᾶσιν ἄκρως ἐναντία, ὡς κατὰ μηδὲν κοινωνεῖν θάτερον θατέρῳ h. e. *Erat Deus & materia, Lux & tenebræ, Bonum & Malum: in omnibus extremè contraria, ut nihil inter ſe commune haberent alterum cum altero,* apud *Epiph. l. c.* Imò ἀρσενόθηλυς & σιφρὰ παρθένος evidens ſunt veſtigium delirii Manichæorum, de *virgine quâdam pulchrâ ornatâ & ad perſuadendum apta, quæ maſculis quidem fœmina formoſa eſſe videatur, fœminis verò adoleſcens formoſus, & conetur deprædari principes* &c. apud eundem *ibid.* Quicquid verò ſit, ſaltē omnia iſta epitheta in quibus exponendis ſe adeo torſit Cabbaliſta, conatu illaudabili, Pythagorica haud eſſe, *Photii* expreſſum teſtimonium docet, qui iſta Nicomacho tanquam authori adſcribit, & quoad maximam partem vocat διανοίας οὐ καθαρευούσης βλάβης ἀναπλάσματα· καὶ οὐχὶ πρὸς τὴν τῶν πραγμάτων φύσιν, τοὺς λογισμοὺς ἰθυνούσης, τὰ δὲ πράγματα πρὸς τὰς ἰδίας φαντασίας μεταμείβειν φιλονεικούσης h. e. *animi noxâ haud vacantis cōmenta: non ad rerum naturam conceptus ſuos dirigentis, ſed res ipſas ad propriam phantaſiam transformare obnixè conantis.* Imò ſi vel Pythagorica forent, cùm aliò referri queant, nempe ad proportionem Geometricam in numeris ipſis, ad opiniones gentilium de Diis totamque adeoque θεογονίαν, fabuloſas de iisdem narrationes, harmoniam quoque in rebus & actionibus humanis, prout ipſe D. Morus paſſim fatetur; indicio ſunt, aliud longe Pythagoram ejusque ſectatores iſtis numerorum myſte-

riis indigitasse. Itaque profanam & intolerandam audaciam prodit, quando aliquoties scribit, Mosen per *sex dies* non successionem temporis, sed naturam rerum indicare, quasi *dies* pro *opere diei* poneretur. Id quod fecit *Defens. Cabb. Philos. ad cap. 1. Gen. v. 9.* & *ad Gen. II. 4.* ubi addit, hoc, *testimonio probatorum Authorum confirmatum esse.* Probatos authores vocans Origenem, Philonem aliosque Cabbalistas, quorum commenta in fumum abeunt & textum sacrum nebulis involvunt, quasi Lux non posset aliter quàm in tenebris lucere. Non erit quisquam sani judicii, quin atro calculo istos conatus notet, qui tantum à sobria Scripturam interpretandi ratione discedunt, quantum Cabbalistarum superstitioni & fanaticorum somniis sunt viciniores, quorum haud postremum elogium est, quòd in pervertendis & contorquendis ad sua figmenta Scripturis, palmam omnibus præripiant. Sed videamus cætera.

Objectio II. sic proponitur.

Philosophiam Pythagoricam non exactè respondere Cabbalæ Judaicæ, cùm Judaici Scriptores motus terræ *haud meminerint.*

Vis objectionis in eo consistit. Cùm D. Morus supponat hypotheses *de motu terræ* & *de animarum* πρæϋπάρξει seu *præexistentia* ad hanc Cabbalam ceu palmarias pertinere, (supra *pag. 4.*) in Judæorum verò scriptis nil de *motu terræ* ab iisdem credito occurrat: colligendum esse meritò, quod Cabbala hæc Philosophica, quam D. Morus commendat, quoad præcipuam sui partem non sit Judaica, adeoque nec Mosaica. Respondet pluribus

1. *Quod hâc in parte generositas* (sic loquitur) *suæ intentionis fuerit, nudè applicare ad textum Mosis tales veritates, quæ supersunt in Scriptis Judæorum, & supponi possunt pro reliquiis Cabbalæ antiquæ. Sed scopum præcipuum tamen sibi fuisse, ut ad eorum noticiam reduceret partem nobiliorem Cabbalæ ipsorum, deperditam quidem, sed quam Pythagoras olim à Majoribus ipsorum acceperit, prout abundè suffragiis Historicorum confirmatum sit.* &c.

Ita semper eâdem chorda oberrat. Fingit privationem, ubi necdum constat de habitu. Ait sententiam *de terræ motu* esse partem nobiliorem Cabbalæ Judaicæ. Quo argumento probat? Quia

quod

quod ipse verum esse putat, id etiam à Mose creditum arbitratur. Dicit Pythagoram à Judæorum Majoribus istam sententiam accepisse, idque abundè ex historiis confirmatum esse. Nullum tamen eam in rem testem producit aut nominat. Nempe sufficere putavit istos, ex quibus, Pythagoram Judæorum conversatione usum fuisse & ab ipsis Philosophiam suam accepisse, antea probaverat. De quibus vid. supra *pag. 8. 70. 71.*

2. *Quærit, quænam sit ergo Physica pars Cabbalæ Judaicæ, si hæc non sit? Non enim negandum esse, Mosen in cap. 1. Geneseos philosophari. Aut quænam theoremata æquè magna & vera possint applicari paria istis quæ ab ipso ad hunc textum applicata? Quod si dicant, dari, sed deperdita esse: idipsum argumento fore, quod hæc à se prolata, illa ipsa sint quæ olim deperdita. Difficilius enim credi Pythagoricum systema mundi quàm sententiam de animarũ præexistentia, cùm illud ipsum superarit Aristotelis captum, qui hypothesin de motu terræ authoribus suis adscripserit quidem lib. 2. de Cœlo cap. 13. & Meteorolog. lib. 1. cap. 6. non tamen eam potuerit amplecti. Sensuum enim præjudicium isti multùm obstare. Et licet Platonismus à Pythagorismo derivetur, in eo tamen theoriam de motu terræ omissam & inter ipsos Pythagoræos satis maturè perditam, idquod exemplis Timæi Locri, Apollonii Tyanæi & quibusdam numerorum epithetis Pythagoricis comprobetur. Pauciores quoque Judæos fuisse capaces, ut istam Cabbalæ partem reciperent, quàm Paganos, Quia præter dispositionem peritiæ Mathematicæ quæ in utrisque ad hoc requirebatur, illis speciatim necessarium erat singulare animi robur, ut sustinerent spectare, corticem literæ Mosaicæ quasi confringi, ut hunc nucleum reconditum gustui istorum redderet, cùm è contrario præexistentiam animarum doceri possent, exiguâ aut nullâ vi externæ literæ Mosis h. e. sensui ejus literali adhibitâ.*

At verò 1. Quæstio ista propemodum ridicula est, quam ab initio proponit. Annon enim creatio lucis, expansi, aquarum distinctio, siderum in cœlo & herbarum ac arborum in terris productio, imò multa alia quæ ipse Cabbalista congessit, physica sunt theoremata? At (dicit) non æquè magna, ac istud quod motum terræ speculatur. Omnia opera Dei magna sunt & istorum cognitio verè magna est, etiamsi non semper sensibus adversetur aut

com-

communi hominum opinioni repugnet. Abſit, ut nuda παραδοξία veritatis ſit indicium, quod Cabbaliſta videtur velle. Immenſa enim tum admittenda foret deliriorum farrago, à quibus humana mens abhorret, quæ nil eximium habent, niſi quod intelligi nequeant & mera oracula loquantur. 2. Si vel concederetur, deperdita fuiſſe quædam ad explicationem Philoſophiæ Moſaicæ pertinentia, annon inanis præſumptio eſſet, aſſerere id ipſum fuiſſe hanc de motu terræ opinionem. Cur? quia ſenſibus repugnat, ſupra captum Ariſtotelis fuit, à Platone haud credita & à Pythagoreis quoque ipſis neglecta eſt. Imò potiùs hinc firmiſſimum duci poteſt argumentum, quo probetur, iſtam opinionem ad traditionem Moſaicam nec pertinuiſſe, nec pertinere. De Pythagorâ & Platone conjunctim ita ſcribit *Cyrillus Alexandr. lib. 1. contra Julian.* Πυθαγόρας δὲ καὶ Πλάτων διατετριφότες ἐν Αἰγύπτῳ καὶ πολλοῖς τοῖς αὐτόθι προσεντυγχάνοντες, ἅτε δὴ φιλομαθεστάτω τε ὄντε καὶ φιλοΐστορε οὐκ ἠγνοησάτην τὴν Μωσέως ἀρετήν h. e. *Pythagoras verò & Plato in Ægypto commorati & ibi multorum conſuetudine uſi, ut quidem ambo diſcendi & inquirendi cupidiſſimi erant, Moſis virtutem haud ignorarunt.* Jam expediat nobis D. Morus, quî factum fuerit, quòd cum Pythagoras & Plato pariter Philoſophiam Moſaicam in Ægypto deguſtarint, hic tamen motum terræ haud agnoverit, uti infra probabitur adverſus quorundam contrariam opinionem, *Ciceroni lib. 4. Acad. quæſt.* ſeu *Lucullo* relatam? Anne ſupra captum ejus fuit, ut de Ariſtotele loquitur? Utique erat Mathematicus, non minor Pythagorâ, non minori ingenio præditus. Nec minus erat diſcendi & inquirendi cupidus, ut credi poſſit, ſi tale quid inter Judæos aut Ægyptios ex traditione Moſaicâ creditum fuiſſet, non minus ipſum quàm Pythagoram in ejus notitiam fuiſſe penetraturum. Altum verò de eo apud Platonem ſilentium. Altum quoque apud Pythagoræos quoſdam, D. Moro fatente. Imò apud Pythagoram ipſum, cui diſcipulorum quorundam ſententia malè adſcribitur. Sed 3. denique, quando D. Morus in Judæis ſingulare animi robur requirit ad ſententiam hanc ex hiſtoriâ Moſaicâ eruendam, agnoſcit, non poſſe eandem citra vim literæ Moſaicæ applicari. Satis etiam profanè de hâc literâ Moſis loquitur, quaſi mera tan-

R tum

tum putamina contineret, atque nucleus unicè sensu mystico per phantasmata eruendo contineretur. Verùm.

3. Respondet. *Licet structura hujus theorematis* de motu terræ *apud Judæos collapsa sit, fundamentum tamen & rudera ejus adhuc inter eos manere.* Huc refert *ipsum nomen* ארץ *quod derivat à* רוץ currere, *& eam in rem Fagium citat Append. cap. 3. §. 10.* Huc etiam applicat, *quòd* Grot. in Decalog. *testetur,* vetustissimam esse Hebræorum sententiam, docente Gemara ad initium Geneseos, non orbes sed in cœlo liquido moveri sidera. *Non potuisse autem antiquos illos Hebræos agnoscere cœlos liquidos, quin & omnino motum terræ possent tenere.*

Geminum autem hoc fundamentum valde arenosum est. 1. Quod originem & etymologiam vocis ארץ spectat, nemo istam admittet facilè qui Grammaticam Hebræam vel à limine salutarit. Nam, ut de punctis taceam & forma nominis sægolati, quæ derivatis à verbo quiescente mediâ radicali planè non quadrat: τὸ א quoque esse heemanticum in ejusmodi vocibus, adeo ab usu linguæ abhorret, ut in unico exemplo irregulari, nempe אסוך *lecythus,* quod 2. Reg. IV. 2. legitur & à סוך derivari solet, *R. Salomon Jarchi* tamen putet א esse radicale. Hinc constat inter doctissimos Philologos hodie, vocem ארץ, quæ *terram* notat, esse deducendam à Radice ארץ, quæ apud Arabes adhuc usitata est, & significat *humilem & depressum esse.* Imò in ipsa S. Scriptura occurrit *Psalm.* LXVIII. 32. & *Jer.* XLIX. 19. si Cl. *Altingii* observationem sequamur. *Terra* itaque Hebræis dicta fuit ארץ *à situ & loco depressiori,* quem respectu cœli obtinet, non verò *à cursu* aut quadam *delatione.* Sed non est, quod istam ἀκρίβειαν Grammaticam à D. Moro postulemus, qui, laudabili modestiâ, sponte profitetur, *se tenui vocum Hebraicarum peritiâ pollere,* in *Epistola ad V. C. §. 11.* Quod verò 2. ex Grotio producit, nil planè ad rem facit, quia à posse ad esse non valet consequentia. Crediderunt antiqui Hebræi sidera in cœlo liquido moveri, adeoque potuerunt etiam motum terræ credere, si arbitrati sunt hanc unquam fuisse sidus; omninò fatendum est. Sed istud *posse*, nil ponit in *esse*. Credunt ætherem fluidum Tycho quoque & alii, qui tamen istam terræ delationem haud agnoscunt. Tum

4. Me-

4. Majori confidentia sic respondet *Append. cap. 6. §. 4. Quod Judæi expressè agnoverint motum terræ, meâ opinione jam satis evictum est, per illa quibus probatum, quod* Pythagoras *vel fuerit ipsemet* Judæus, *vel saltem doctrinam suam* à Judæis *acceperit. Cujus veritatem non obscurè indicant,* præexistentia animarum & trinitatis mysterium, *quæ Pythagoras docuit. Planum enim est ex libro* Jetzirah, *quòd Judæi* trinitatem *æquè ac* præexistentiam animarum *credant. Ideoque admodum verisimile, eum ex eodem fonte* Physicam *suam hausisse, unde* Metaphysicam. *Cum verò hæc pars physica istius Cabbalæ,* (nempe quæ motum terræ asserit) *non esset usq; adeo utilis quantum religionem spectat, nec comprehensu facilis, ob largam istius theoriæ extensionem, adeoque difficulter posset per longam aliquam successionem retineri, non mirum; quod sensim effluxerit & cum tempore deperdita sit.*

Quibus ambagibus hoc vult dicere. Ex quo fonte Pythagoras Metaphysicam suam hausit, ex eodem & Physicam accepit. Sed Metaphysicã hausit à Judæis. Ergo & Physicam. Consequẽtia probatur, quia vel Judæus fuit vel ab his doctrinam suam accepit, ut supra ostensũ. Antecedens confirmatur gemino exemplo insigni, mysterii trinitatis & præexistentiæ animarum, quæ à Pythagorâ pariter & Judæis creduntur. Quod si Physicam accepit à Judæis, etiam illam partem hausit, quæ motum terræ statuit. Deperdita autem hæc fuit, partim quod minus utilis, partim quod difficilior esset, quàm ut vulgò posset comprehendi.

Ubi 1. Rursum eadem recurrunt, ad quæ jam sæpius est responsum, dum ex meris particularibus ratiocinatur, nullâ connexione & consecutionis evidentiâ. Num enim sequitur? Pythagoras Philosophiam suam h. e. saniora quæ de Deo & rebus divinis tradidit, hausit à Judæis, uti Antiqui Scriptores testantur. Ergo omne Pythagoricum dogma est Judaicum, & contra. Hausit quædam Metaphysica. Ergo totam Metaphysicam, cui nil de suo addidit. Ergo & Physicam. Accepit Physica nonnulla. Ergo totam Physicam eodem modo. Denique, dogma *de motu terræ* ob hanc vel istam causam facilè deperdi potuit, ubi adfuit. Ergo adfuit. Quis ita ratiocinatur? aut ratiocinantem Philosophum ferat? Mathematico more per hypotheses, & axiomata, & postulata, argumentari

voluit. Sed ea quæ supponit falsa sunt, quæ pro axiomatis habet vix probabilia, & quæ postulat iniqua, neutiquam concedenda. Nam 1. vult, ut sibi potius affirmanti, ex unico teste dubio, quàm toti Judæorum universitati fidem adhibeamus, dum ait hos *mysteriũ Trinitatis unàcum Pythagorâ credere, ut planum sit ex libro Jetzirah.* Fateor, si ad hoc mysterium quævis trinitas sufficit, Judæos Cabbalistas & Pythagoram hanc quoque credere. Ternarius enim istis & huic mysticus est. Sed si *trinunitas* (quâ voce D. Morus utitur) trium personarum in unâ essentiâ divinâ intelligitur, ab istis æquè negatur hodiedum, ac huic incognita fuit. Extant quidem in libro *Jetzirah* quædam, *pag. 65. & seqq. edit. Rittang.* de כתר seu *corona,* חכמה *sapientia* & בינה *intelligentia,* quæ appellātur ג' מוחות *tres mentes* vel *medullæ,* aut *cerebella* & dicũtur uniri בנקודה אחד *in centro uno.* Fit *pag. 36.* mentio *Spiritus Sancti* creatoris juxta Psal. XXXIII. 6. qui cum *voce* & *verbo* sit conjunctus. Quém locum etiam *Galatinus* citat *de Arcan. Cathol. verit. lib. 2. cap. 2.* Occurrunt similia *de mirabili illo & abscondito artifice* אין *qui est corona trium numerationum intellectualium pag. 41.* & de mysterio *numeri, numerantis* & *numerati pag. 146. & seqq.* Sed præterquam quòd *pag. 77.* emanatio istarum *Sephiroth* vel *numerationum* ad opera creationis & providentiæ divinæ tota referatur : ex istis aliquid certi eruere velle, est oleum & operam perdere. *Cabbalistica enim hæc doctrina abyssus est imperscrutabilis, labyrinthus inextricabilis, nec introitum ostendens nec exitum : fructus ejus nullus,* ut rectè judicat Celeb. *Buxtorf. Cosri pag. 318.* Unde D. Morus non debuisset dubio & unico testimonio niti in re tantâ, nec indefinitè tantum asserere, id ex libro Jetzirah constare. Qui denique

5. Ceu palmariam responsionem subjicit, *ea quæ de Numa Pompilio narrat Plutarchus. Quod* nempe *templum Vestæ erexerit rotundum, in ejus medio erat ignis iste ἄσβεστος, qui à Vestalibus custodiebatur, & imitatus sit eo ipso figuram universi, in cujus medio ignis à Pythagoræis locabatur, qui eum* Vestam & Monadem *vocabant.* Hinc ille colligit, *sententiam de motu terræ aliquando fuisse inter secretiora doctiorum in gente Judaica.* Quoniam *valde* ipsi *probabile videtur, Numam fuisse Judæum origine & Judaica religione ac do-*

ctrinâ

ctrinâ imbutum. 1. *Quia usum imaginum in sacris prohibuit, quod satis Mosaicum apparet. Istud quoque ejus principium*, οὐ καλῶς φαρεῖσθαι τὰ ἀπόῤῥητα ἐν ἀψύχοις γράμμασιν h. e. arcana mysteria non satis tutò inanimatis literis committi, *indicat eum Cabbalisticè per oralem traditionem edoctum fuisse, cujusmodi apud Judæos in usu erat.* 2. *Quia præceptor Numæ dicitur fuisse, non Græcus, sed Barbarus quis melior Pythagorâ. Ubi verò ille nisi inter Judæos? Quod si edoctus à Pythagorâ, non Samius sed Lacedæmonius is fuit, ut & ipse Numa erat. Sabini enim Lacedæmoniorum colonia, ut Plutarchus affirmat. Et hi origine Judæi, juxta literas ab Areo Lacedæmoniorum Rege ad Oniam Pontificem & à Jonathane Maccabæo ad Lacedæmonios missas, de quibus 1. Maccab. XII. 21.* & *Joseph. Antiqu. lib. 13. cap. 11.*

Quæ eodem modò cohærent ut superiora. Quamvis enim D. Morus ut cùm aliquâ verisimilitudine ista urgeret, artificio quodam usus sit & quò lectorem præjudicio occuparet atque concludere posset; *Quid magis planum quàm hæc testimonia?* multa prius de Numæ institutis & præceptoribus ac origine Judaicâ præmiserit, & tum demum narrarit quale templum Vestæ idem Numa extruxerit, quem ordinem ego evidentiæ causa mutavi: frustra tamen id ipsum fecisse, clarissimè ostendi potest. Nam 1. Licet de facto Numæ constet, ratio tamen ejus dubia est. Erexit templum Vestæ, in cujus medio ignis. Sed num ideo, ut Solem in medio totius universi im̃obilem repræsentaret? Non liquet. Plutarchi verba sunt, λέγεται *ajunt, ferunt.* Quis autem ignorat, multa ferri, quæ nudâ conjecturâ nituntur? Cui si tantum deferendum est, licebit ex ejusdẽ *Plutarchi quæstionibus Romanis* contrariũ colligere. Nam *quæst. 18.* hanc dat causam, cur Numa à Januario novum annum auspicatus sit? *quia tum sol progrediendi fine facto revertitur & ad nos cursum reflectit, ac tum in ipsâ quoque naturâ conversio quædam fit.* 2. At crediderit Numa motum terræ. Cætera saltem omnia ne quidẽ evincunt eundem religione Judaicâ imbutum fuisse, tantum abest ut Judæum fuisse probent. Simulachra è templis eliminavit, ut *Plutarchus* refert, & eum secuti Doctores Christiani *Clemens Alex. lib. 1. Strom. Euseb. Præp. Evang. lib. 8. cap. 6. Cyrillus lib. 6. contra Julian.* qui id gentibus objecerunt. Verùm an id fecerit ἐκ τῶν Μωσέως ὠφεληθεὶς

ex Mosaicis scriptis utiliter edoctus, uti *Clemens* arbitratur, mihi non satis probabile videtur. Non enim eliminavit omnia simulachra, sed vetuit ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα θεοῦ νομίζειν *hominis aut bestiæ imaginem Deo tribuere.* Cujusmodi imago *Cyrillo l. c.* βρέτας dicitur, voce emphaticâ, de quâ *Hesychius* & *Phavorinus*, quod propriè sit simulachrum ligneum, effigiem hominis referens, unde & nomen habet, βρέτας παρὰ τὸ βροτὸς inquit *Phavorinus*, idque δείκελον à recentioribus vocari monet *Hesychius*. Jam credo, magnum quid est, virum sapientem, studiis & meditationibus rerum sublimium unicè deditum, tantum potuisse ex solo lumine naturæ proficere, ut crederet, Deum homini aut bestiæ haud similem esse. Quid aliud Persæ suo *Mithræ* cultu voluerunt? Et annon *perpetuus* iste *Ignis*, *Vestæ sacer*, cum istorum *igne sacro & æterno* convenit, cui πυρεῖα erant dicata? De quibus *Curt. lib. 3. cap. 3. Strabo lib. 15.* aliique. Nec tamen ideò *Persæ* à *Mose* suam disciplinam hauserunt, sed *Numa* potius à Persis, juxta *August. de Civ. Dei l. 7. c. 35.* 3. Eodem modo, malè D. Morus verba ista οὐ καλῶς φορεῖσθαι &c. Numæ tribuit tanquam *principium*, cùm *Plutarchi* sint, rationem suo judicio reddentis, cur Numa voluerit libros suos secum sepeliri. Qui postea annis 535. elapsis in agro Cn. Terentii reperti & jussu Q. Petilii prætoris combusti fuerunt, quia philosophiæ scripta erant, uti *Plin. lib. 13. cap. 13.* narrat. De quo facto, judicium vide *Augustini lib. 7. de C. D. cap. 34.* Quod si vel ista verba Numæ forent, num vivâ voce instituere, nec omnia chartis committere, solis Judæis proprium fuit? Et annon eoipso, quod libros mysteriorum habuit, minus detulit traditioni orali quàm Pythagoras, quem nihil scripsisse quidam putarunt? Sed & 4. quod præceptores Numæ spectat, non magis fideliter mentem Plutarchi D. Morus exprimit. Siquidem is *in Vitâ Numæ, sub init.* haud asserit, *non Græcum, sed barbarum aliquem meliorem Pythagorâ Numam instituisse.* Verùm aliorum opiniones recenset, diversimodè fabulam de Pythagorâ præceptore Numæ refellentium. *Quosdam* ait *planè negare, Numam literas Græcas ullatenus attigisse. Quasi* (addit) *aut suâ indole & per se adspirare ad virtutem quiverit, aut præstantiori Pythagorâ tribui barbaro, nescio cui, institutio possit regis.* Alios verò, dicit opponere,

Pytha-

Pythagoram diu post secutum & ab Numa seculo ferè quinque ætatibus remotum. Sed Spartiatem Pythagoram, qui in Olympiis cursu victor fuit, circa Olympiad. 16. cùm peragraret Italiam, cum Numa consuetudinem habuisse & consilia communicasse. Hinc Numa instituta cum Laconicis convenire. Quæ quidem confirmant conjecturam supra *pag. 68.* propositam. Sed D. Moro obsunt maximè. Quod enim ille Plutarchum tradere putabat, id is negat haud obscurè, vel saltem ceu dubium recenset, uti totus contextus arguit. Imò denique 5. dum Numam & Lacedæmonios conatur ex Judæis derivare, rursum abutitur testimonio Plutarchi, & ea quæ de Lacedæmoniorum ac Judæorum cognatione *in lib. Maccab.* & *Josepho* leguntur, ultra justum terminum extendit. Non affirmat *Plutarchus*, Sabinos (unde Numa oriundùs) coloniam esse Lacedæmoniorum. Sed narrat, Sabinos id velle & jactare. Σαβῖνοι δὲ (inquit) βούλονται Λακεδαιμονίων ἑαυτοὺς ἀποίκους γεγονέναι. Unde verò constabit, an vana fuerit isthæc jactatio, vel non? Quod si vana, non opus est ut porrò de Lacedæmoniis laboretur. De quorum origine Vid. Celeb. *Bocharti τοῦ μακαρίτου Phaleg pag. 498.* Fuerunt isti & Judæi συγγενεῖς, sed ἐκ γένους ἀβραάμ *ex stirpe Abrahami*, uti in *libro Maccab. l. c.* legitur, vel, ἐκ τῆς πρὸς ἀβραὰμ οἰκειότητος *ex domo Abrahami*, uti *Josephus Antiqv. lib. 12. cap. 5.* Quis verò hinc colligat, Lacedæmonios fuisse Judæos, quòd ex filiis Keturæ, aut Kedma filio Ismaëlis forsan orti fuerint? Quis hinc, propagatam cum genere Abrahami disciplinam inferat, quin liceat pari fide omnium mortalium religionem ad instituta Noachi revocare? Ex quo concludimus, nec istâ palmariâ responsione quicquam D. Morum profecisse, adeoque hactenus constare, hypothesin de motu terræ nec Judaicam, nec Mosaicam esse.

Objectio III. ita habet.

Interpretationem operis primæ diei *heterogeneam esse respectu reliquarum, dum solum hoc opus constituitur esse* symbolicum.

Ex *Cabbala Philosophica* (quæ *Disp.* I. relata fuit) notum est, quòd *pag.* 13. statuat, opera primæ diei symbolicè enumerari à Mose, & quidem nomine *Cœli* & *Lucis* eandem rem intelligi, nempe *Mundum vitæ*, qui comprehendat *angelos, substantiales formas* & *spiritus* quoscunque

cunque, nomine *terra* verò, nudam *possibilitatem creationis.* Hinc autem desumitur ista objectio. *Quòd cùm opera reliquarum dierũ non sint symbola, sed id ipsum quod dicuntur esse, valde heterogeneum & alienum sit, in solâ primâ die opera symbolica & Metaphysica quærere.* Ita enim in genere formari potest, quando de convenientiâ expositionis istius Cabbalisticæ cum textu Mosaico, veritate etiam dogmatum illorum Platonicorum, necdum in specie disquiritur.

Respondet verò D. Morus prolixè & suo more obscurè ac confusè *Append. cap. 7. 8. & 9.* ita ut magnâ patientiâ opus sit in istis perlegendis, ne tædium obrepat. Summa eò redit 1. *Non potuisse Mosen aliter describere rerum immaterialium creationem quàm symbolicè. Etiam* serpentem *cap. 3.* symbolicè *à plerisque intelligi* 2. *Ipsam expositionem pluribus confirmari. Quod* cœlum & lux *tanquam synonyma habeantur, à Philosophia haud alienum, cùm* æther *seu* cœlum, *ritè agitatum, sit* lux. *Tum* Jupiter & Diespiter *idem numen apud gentiles.* 3. *Per* cœlum *verò intelligi, inter opera primæ diei, omnem* spiritualem substantiam, *id* ex Clem. Alex. & Origene *constare.* 4. *Huc etiam respicere ista duo* Parmenidis *principia* πῦρ ϗ γῆ Ignis & terra. *Qui* Pythagoricus *fuit & familiaris* Diochætis, *de quo justè licet suspicari, quod* Judaica disciplina *fuerit imbutus.* 5. *Cum* Origene *autem in eo consentire* Rabbinos, *dum* solium Dei ante creationem mundi conditum *volunt.* Majem. Mor. Nevoch. part. 2. cap. 26. *At id* angeli *sunt, quos nomine* cœli *intelligendos Cabbalistæ tradunt apud* Menasseh b. Jsr. De creat. probl. 25. sect. 5. *Imò ipsa Scriptura* Job. 38. 6. *Nomen quoque* cœli & lucis, *quando spirituales substantias notat,* proprium *esse non merè* symbolicum, *æquè ac voces* spiritus, anima, ψυχὴ, *à* materialibus *ad significanda* immaterialia *sunt traducta.* 7. *Esse etiam constantem & necessariam* unionem *inter* materiam cœlestem & mundum vitæ, *dum datur* igneum, luminosum & æthereum vehiculum *intimè adhærens* animæ, *adeoque has non malè isto nomine venire.* 8. *Nec in eo quid heterogeneum, aut differens ab operibus reliquarum dierum, quia hoc* cœlum lucidum, *vel* lux cœlestis, *vocatur symbolicè* mane *cujusque operis seu* principium matutinum & activum, *quod semper particula istius* meræ diei *primò creatæ.* 9. *Posse etiam facilè probari,* materiam *istam* metaphysicam *verè* terrã *vocari,*

cùm

eum propria attributa terræ ipsi maximè conveniant, nempe immobilitas *&* locus depressior. Nam est *infimus gradus* & umbra *entitatis,* ac non solùm immobilis est sed *nec imminui potest. Non tamen id opus esse, ut de eo disquiratur, cùm* cælum *seu* lux *sit præcipuum opus primæ diei.*

Tum *Append. cap. 8.* tres quæstiones *circa hanc* materiam metaphysicam *ventilat & 1. Rationem reddit, cur ista possit nomine admodum substantiali* materia *vocari, cùm nec sit* substantia, *nec* ens actuale. *Eoq; refert varia epitheta materiæ primæ ex Aristotele, Platone Plotino, ut probet idem illos secū sensisse. 2. Ostendit, quomodo ista* materia *dici queat* creari, *cùm in* mera possibilitate *consistat, quæ per se est & nulla creatione videtur indigere. Dicit autem, quod* creatio *nihil aliud sit quàm* emanatio creaturæ à Deo creatore, *secundùm* Aquinatem. *Hæc verò possibilitas est extrema* projectio *aut* emanatio *à divina existentia, nec sine ipso esse potest. Itaque cùm ab eo dependeat nec merum* nihil *sit, juxta Metaphysicos qui concedunt quòd* ens in potentia *æquè verè sit* ens *ac* ens actu, *rectè dici potest quod sit creata. Si etiam* creatio *sit* productio rei ex nihilo, *verè demum huic materiæ talem competere, cùm id quod infra eam est, sit* non ens absolutè *nempe* impossibile. 3. *Causam profert, quare Moses id speciatim voluerit notare, cùm aliàs per se notum sit, rem quæ sit fieri posse aut potuisse. Nempe ait in rebus immensis quales* Deus *&* Universum, *quamlibet minimam considerationem magnam esse, & hominum ingenia ferè semper ad istam* Hylen *usque scrutando penetrasse. Sic quoque dependentiam omnium à* primo ente *evidenter doceri, quando* ipsa possibilitas rerum *est à Deo. Imò hanc* potentialitatem *quoque involvere* incompossibilitatem, *cùm finita* capacitas *vel* possibilitas *ipsa sit. Ideoque hinc sequi necessitatem talium, quæ pro malis habentur in mundo, quia capacitas finita* necessitati *proxima est* &c.

Denique parum fidens illis omnibus, *cap. 9.* ostendere conatur, *quomodo ista* Hyle *vel* materia prima *possit esse* realis *aut* actualis, *consistens ex particulis minimis, quibus motus impressus;* seque in omnes partes vertit, ut *rectè explicet quomodo talis materia* monas *dici queat, nescius quam sententiam tandem amplectatur, cùm huic novæ opinioni faveat Augustini authoritas eademque possit quadantenus ex Platone & Aristotele confirmari, in priorem verò Plotinus & Platonistæ* in-

inclinent. Unde lectoris judicio arbitrium relinquit quam velit præferendi.

Ego verò summopere vereor, ne hic tædio & fastidio affectus sit, istis tricis Metaphysicis obiter percurrendis, quamvis & clarius à me propositæ sint & brevius, utpote ne decima quidem pars eorum quæ multis verborum ambagibus & stylo planè mystico apud ipsum D. Morum leguntur. Quis autem in istis tenebris longum per inane facem præferet? Quo teneam vultus mutantem Protea nodo? Sanè commodissimum videtur, ut, missis illis quæ ad examen speciale pertinent, (ubi de isto mundo vitæ, animarum præexistentia & formis substantialibus, vehiculis quoque animarum æthereis, erit pluribus agendum & videndum quàm verè credantur, quomodo etiam textui Mosaico quadrent) ea tantum quæ objectionem tangunt vel tangere videntur paucis perstringamus. Hæc urget, malè Metaphysica Physicis in istâ Cabbalâ Philosophicâ misceri & entia rationis inter entia creationis referri, adeoque hanc expositionem, quæ opera primæ diei spectat, non cohærere cum cæteris, sed heterogeneam esse. Respondit autem ad eandem Cabbalista prolixè, sed frustra. Nam 1. Conceditur, angelos seu spiritus sub nomine cœli subintelligi posse. Verùm de eo non tantopere hîc quæritur, quàm de materia ista metaphysica, quam fingit creatam. Cui dum 2. soli convenire dicit peculiaria *terræ* attributa nempe *locum depressiorem* & *immobilitatem*, addens, quod eadem terræ *strictè* & *philosophicè* considerata non conveniant, contradicit sibi & terminis pro lubitu abutitur. Aperta enim contradictio est, esse ista terræ peculiaria attributa & tamen eidem haud convenire. Quod si glossemate utatur, ex aliorum opinione se ista attributa terræ assignasse, dicat, cur ne verbulo quidem id subindicarit? cur fictis quàm veris attributis convenientiam inter *terram* & *materiam* istam *metaphysicam* maluerit probare? Ubi & terminis insigniter abutitur, quando *locum depressiorem* applicat ad *infimam entitatem* materiæ & hanc *immobilem* dicit, quia *minui* non potest. Notabili rursum contradictione. Supra enim *pag. 14.* in *Cabbala* ipsa ad *vers. 2. cap. I. Gen.* dixerat de eadem *materiâ*, quod fuerit *instabilis, fluida & sponte sua ad instar aquæ indeterminabilis.* Hîc verò *immobilem* esse asserit.

Sed

Sed 3. nil juvat ipſum Ariſtotelica *materiæ primæ* deſcriptio & quæ iſti gemina apud alios leguntur. Nam ſi rem ipſam ſpectemus, *non ens* deſcribunt. At ſi iſta *materia metaphyſica* creata fuit, *ens* fuerit oportet. Id quod 4. ita probare conatur, ut fruſtra prætexat, *ens in potentia* eſſe *verum ens* æquè ac *ens actu*, ſecundùm Metaphyſicos. Præterquam enim quod iſta quorundam opinio apertè falſa ſit, *materia* hæc *Metaphyſica*, de quâ agimus, ſaltem eſt *ens poſſibile*, quod longius adhuc abeſt ab *entitate* quàm *ens in potentia*. 5. Creationem illius materiæ ſic exponit *Append. cap. 8. §. 6.* ut hinc neceſſariò ſequatur, eandem materiam imò ipſum mundum Deo coæternum eſſe. Nam *§. 8.* ſcribit disertè: *Mundus ipſe æquè antiquus eſt ac hæc Hyle* ſeu *materia*. Eadem materia verò ex ipſius ſententiâ ab omni æternitate exſtitit. *Creationem* enim cum *Thomâ Aquinate in 1. qu. 45.* nil aliud dicit eſſe quàm *emanationem creaturæ à Deo creatore*, addens, iſtam *materiam metaphyſicam* ſeu *poſſibilitatem rerum* eſſe *extremam projectionem vel emanationem à divinâ exiſtentiâ*, ut vidimus. Quorum explicatio ex tractatu ipſius D. *Mori de immortalit. animæ lib. 1. cap. 6.* petenda eſt, ubi de *cauſa emanativa* hæc duo leguntur axiomata, inter cætera quæ *cap. 2. §. 1. ejusdem tractatus* dixerat talia eſſe, ut nemo ſine rubore ea poſſit negare. *Axioma XVI.* eſt. *Cauſa emanativa notio eſt rei poſſibilis.* Vel, ut exponit, *Per cauſam emanativam talis cauſa eſt intelligenda, quæ nudâ exiſtentiâ ſuâ, nullâ aliâ activitate aut cauſalitate interveniente, producit effectum.* Tum *Axiom. XVII.* ita ſonat. *Effectum emanativum coëxiſtit ipſi ſubſtantiæ ejus quod cauſa illius eſſe dicitur.* Unde rectè infert, *ſi tale effectum unquam eſt, ſemper eſſe debet, vel ſaltem tamdiu quãdiu ſubſtantia iſta exiſtit.* Quid verò hinc conſequitur? Illud ipſum quod dixi. Nã materia iſta eſt effectũ emanativum, ſecundum Cabbaliſtam ex Hermogenis officina philoſophantem. Adeoque, ſi unquam fuit, ſemper eſt, Deo coæterna eſt, ut & ipſe mundus, qui æquè antiquus ac hæc materia. Aſſertio ſanè ethnica & homine Chriſtiano indigna! Quam tamen non arbitror D. Morum pro ſuâ agniturum. Tollat ergo hypotheſes, unde illa evidenter ſequitur. Abjiciat iſtam materiæ Metaphyſicæ fictitiam emanationem & ab hæreſi de duobus principiis ſibi caveat. Aut enim hæc materia, reſpectu Dei eſt ipſe Deus, ex

cujus omnipotentiâ & bonitate ista *possibilitas* resultat, quæ à parte rei merum *nihil* Mosaicum relinquit. Aut est aliquod ens distinctum à Deo realiter, ab ipso tamen dependens. Si prius, videtur quidem leviùs errare, quando nullam rem à Deo distinctam eidem coæternam statuit. Errat tamen gravissimè, dum istud *creatum* dicit, quod à Creatore non distinguitur, *emanasse*, quod in Deo manet; dum *materiam* vocat, quod à parte rei est *merum nihil*, imò hanc materiam illorum stylo depingit, qui eam ceu quid revera distinctum à Deo conceperunt. Quorum secta omnino inde videtur ortum cepisse, quòd illorum Patriarchæ gustum principii Mosaici quem hauserant, per impuros latices derivarunt, & *non entis* conceptum *entis realis* affinxerunt, quia illorum captum superabat, ex nihilo aliquid fieri posse. Unde tot ac tantæ circa *materiam primam* contradictiones ac fluctuationes. Quæ sisti nequeunt, nisi nomen *materiæ*, isti quod *merum nihil* est detrahatur, & sic Deo gloria sua reddatur, creanti liberè, non necessariò, citra dependentiam ab ullâ materiâ. Sin tamen posterius malit Cabbalista, *Tertulliano* erit *materiarius hæreticus*, & quocunque se vertat, non poterit ab hæresi de duobus principiis liberari, nisi omnia quæ de istâ *materiæ Metaphysicæ* emanatione scripsit unâ liturâ inducat, & *ex discipulo Platonis fiat discipulus Christi, qui piscatorem suo spiritu docuit sapere ac dicere: In principio erat verbum*, uti *Augustinus* loquitur *lib. 10. de Civ. Dei cap. 29.* Quin & 6. quando alteram quoque creationis notionem (quæ *productionem ex nihilo* includit) huic materiæ metaphysicæ accommodat, id facit absurditate manifestâ. Vult enim, *istam notionem creationi ejusdem materiæ vel imprimis quadrare, quia id quod infra hanc est, absolutissimum* non ens est, *quod concipi potest, nempe* impossibilitas, *in quo statu omnes res essent, si Deus non foret.* Hinc autem quàm multa absurda & impia sequantur, nolo multis ostendere. Unum & alterum sufficiat. Inde fluit, res in signo rationis prius fuisse impossibiles priusquam fierent possibiles, adeoque & ante æternitatem aliquid concipi posse. Inde sequitur, posse momentum in signo rationis figi quo omnipotentia à Deo *præcisione negativâ* abstrahatur, imò ipsa existentia. Quæ an viam ad Atheismum sternant, conjectu haud difficile est. Nam & 7. quasi constituisset

omnia *Materiariorum* portenta adoptare, originem malorum ab ista materia derivat, per miram quandam & non facile explicandam imò contradictoriam *incompossibilitatem creationis*, quam vult illâ *potentialitate materiæ* contineri. Immemor, se hanc materiam à Deo creatam dixisse, quam isti quorum vestigia sequitur, Deo sine productione coæternam voluerunt. Adeoque fortius adhuc adversus ipsum militant ista *Tertulliani* argumenta, quibus hanc materiæ malitiam & inde pendentem malorum necessitatem oppugnat *in lib. advers. Hermog. cap. 9. & seqq.* Sed denique 8. non opus est ut ad rejiciendam istam *materiam Metaphysicam* vel verbum addatur, quando ipse D. Morus (prout δεύτεραι φροντίδες σοφώτεραι) diffisus eandem satis benè defensam prolixis digressionibus, *cap. 9.* ad *materiam Physicam* tandem delabitur, *consistentem ex perfectis particulis actu divisis atque æqualiter agitatis*. Licet enim videri velit hoc tantum in gratiam eorum statuere, qui sub nomine *materiæ* magis crassum & perceptibile objectum desiderant, & valde se torqueat in conciliatione hujus cum textu Mosaico: tamen vel sola hæc ejus fluctuatio satis indicat, nescivisse ipsum quid tandem statueret, & undique constrictum difficultatibus & absurditatibus rem quasi in medio relinquere voluisse.

Supersunt adhuc duæ objectiones, in quibus recensendis erimus breviores, quòd non tam Cabbalam Morianam quàm ipsum textum Mosaicum oppugnare videantur. Potuissent etiam penitus omitti, nisi responsiones D. Mori essent tales, ut è re visum fuerit easdem obiter recitare. Itaque

Objectio IV. eo redit.

Ordinem Cabbalæ esse præposterum, dum terram Soli præponit.

Quam sic explicat *Append. cap. 10. §. 1. Ordinem creationis rerum secundùm Cabbalam Philosophicam præposterum esse, cùm opus quartæ diei magis naturale sit tertiæ, Soles sint ante Planetas, & Planetæ, priusquam possint esse terræ rivis, plantis & floribus ornandæ* &c. Ubi nolo jam istam ejus phraseologiam de *Solibus*, *planetis* & *terris* excutere, quod in Examine speciali fiet. Quid respondeat, saltem videamus.

1. Benè monet *§. 2. regulam ordinandi res creatas debere esse textum Mosaicum, non verò phantasiam nostram.* Nec potuit id facere

tamen, quin ad numerorum vana commenta relaberetur & diceret, *necessarium fuisse, ut ornatus terræ præcederet adornationem universi Solibus & planetis factam, quia ternarius præcedit quaternarium.* Piget transferre & transcribere cætera, quæ in eandem sententiam addit de istis *numerorum repositoriis.*

Quid enim in hisce sani aut solidi, quamvis ipse §. 3. ea ceu *responsionem solidam*, quâ est modestiâ, prædicet, *cui aliquid addere superfluum sit?* Vult Mosen secundùm numerorum symbolicam significationem opera creationis alio ordine recensere quàm quo revera condita sunt, *methodo* tamen *uti tolerabili. ibid. Licet terræ adornatio satis ordinatè subsequatur creationem* cœli *aut* ætheris, *non tamen opus esse* (ait §. 4.) *ut dicatur tertio die creata, quia, eo ipso quod* terra *&* primarius planeta *sunt unum & idem, sub operibus quartæ diei comprehenditur.* Quis hanc impiam audaciam ferat, Mosi in faciem contradicere ut tua commenta stabilias? Cùm is distinctionem & ornatum terræ ad diem tertium referat, ad quartum nihilominus eam revocare, tantùm quia primarius planeta videtur? Patet hinc, quod objectionem ad quam respondisse vult videri reipsa nec obscurè approbet. Quod etiam dicis saltem gratia conatus sit

2. Ordinem qui in historia Mosaica servatur ceu *naturalem & Logicè cohærentem* asserere, partim per *convenientiam cum tribus elementis Cartesianis* & horum ordine, dum *æther* opus secundæ diei ex *primo* & *secundo elemento* consistit, cujus effectum est *tertium elementum*, ex quo *terra* constat: partim per *subordinationem* quandam *causæ efficientis* & *finalis*, dum vult, rectè terram præcedere sidera, cùm ista sit horum *objectum* & *finis cui*, adeoque *prioritate naturæ* præcedat.

Nam 1. Ut taceam profanæ temeritatis esse, mensuram ordinis divini constituere conceptus humanos & divinam atque imperscrutabilem sapientiam ad leges ratiocinationis humanæ revocare, archetypum reducere ad ectypum, imò ad effictam ectypi ideam. Quasi nihil beneplacito ejus, qui omnia agit ex consilio voluntatis suæ, nihil istius providentiæ, cui ab omni æternitate nota sunt opera sua, in tam luculento sapientiæ omnipotentis opere foret adscribendum. Exceptionibus 2. quamplurimis ista obnoxia sunt, quas

facilè

facilè potuit Cabbalista Philosophus prævidere. Juxta *Cartesium Princip. III.* §. 52. tria sunt mundi aspectabilis elementa, *ex quorum primo Sol & Stellæ fixæ, ex secundo cœli, & ex tertio terra cum planetis & cometis componuntur.* Ergo præter Cartesii mentem ait, cœlum ex primo & secundo elemento componi, cùm ex secundo tantùm constet. Neque tum iste ordo naturalis est, ut primò secundum, deinde tertium & ultimò primum elementum producta credantur. Mirum verò ipsi non in mentem venisse, primum elementum Cartesianum primâ die creatum & nomine *lucis* connotari, cui antea dixerat tantum affinitatis cum spiritibus intercedere. Potuisset enim eò referre, quòd Sol hinc *Orus* dictus fuerit Ægyptiis & in S. Scripturâ quoque אור appelletur *Job. XXXI.* 26. Vid. *Drus. Animadvers. lib. I. cap. 31.* Sed forsan veritus est, ne quis regereret, jam præcessisse cœli terræque mentionem, & creationem Solis atque siderum quartâ die expreſsè commemorari. Sic & illa *causæ finalis subordinatio* aut *objecti* ratio non procedit. Quia Sol luceret, etiamsi non esset terra. Homo quoque tum ante omnia debuisset condi, quia is *finis cui* totius creationis non malè dici potest. At quorsum hæc omnia? Quando 3. expreſsè scribit *sub fin.* §. 5. de textu historiæ Mosaicæ: *Exacta concatenatio & series rerum per omnia, plus est quàm potest inde exspectari. Talis enim ἀκρίβεια non intenditur, sed saltem ut* ordo numerorum *juxta eorundem* significantiam *sit* repositorium notarum: *directio vero Cabbalæ ipsius (h. e. antiquæ philosophiæ Judaicæ) relinquitur peritiæ Mystagogi, quando consuletur, qui res omnes debitâ & naturali methodo est declaraturus.* Frustra ergo de convenientia methodi Mosaicæ laboravit, quando jam tandem objectionem probat & aliam methodum naturalem Mosaicæ methodo præfert. Quanto fecisset rectius, si vel primæ responsioni institisset soli, vel in subsidium vocasset commodiores Patrum de isto ordine meditationes? Quos inter *Basilius Hom. 5. in Hexaëm.* Ἐπειδή τινες οἴονται τὸν ἥλιον αἴτιον εἶναι τῶν ἀπὸ τῆς γῆς φυομένων, τῇ ὁλκῇ τοῦ θερμοῦ πρὸς τὴν ἐπιφάνειαν τὴν ἐκ τοῦ βάθους δύναμιν ἐπισπώμενον, διὰ τοῦτο πρεσβυτέρα τοῦ ἡλίου ἡ περὶ γῆν διακόσμησις· ἵνα καὶ τοῦ προσκυνεῖν τὸν ἥλιον, ὡς αὐτὸν τὴν αἰτίαν τῆς ζωῆς παρεχόμενον, οἱ πεπλανημένοι παύσωνται, ἐὰν ἄρα πεισθῶσιν ὅτι πρὸ τῆς ἐκείνου γενέσεως τὰ πρὸς γῆν

ἅπαντα

ἅπαντα διακεκόσμητο, καὶ οὐκ ἀμέτρου περὶ αὐτὸν θαύματος καθυφῶσιν ἐνθυμηθέντες ὅτι χόρτου καὶ βοτάνης νεώτερός ἐστι κατὰ τὴν γένεσιν h. e. *Quoniam sunt, qui Solem omnium eorum, quæ à terra pullulant, esse causam arbitrantur, è profundo telluris vim germinandi per caloris attractionem ad superficiem elicientem, ideo terræ dispositio creationem antegressa est Solis, ut & adorare Solem, tanquam vivendi causam, homines iî desinant, qui eo in errore versantur. Si igitur persuasum fuerit ipsis, ante Solis creationem terram omnem habuisse suam dispositionem, tam immoderatam de Sole conceptam admirationem tandem remittent, mox ut secum expenderint, fœno ac herbâ posteriorem esse Solis productionem.* Cum quo consentit *Cæsarius Dialog. 1. quæst. 94.* Qui & *quæst. 83.* speciatim observat, terrã Gen. 1.9. ideò *aridam* vocari; ἵνα μὴ τῷ ἡλίῳ τὴν τοῦ ἀναξηραίνειν αἰτίαν προσθῶμεν, πρεσβυτέραν τῆς ἡλίου γενέσεως τὴν ξηρότητα τῆς γῆς, ὁ δημιουργήσας θεὸς ἀπεφήνατο, περιαγαγὼν τοὺς ματαιόφρονας θεοποιεῖν τὸν ἥλιον. *Ne* (inquit) *causam arefaciendi tribueremus Soli, antiquiorem Solis ortu ariditatem terræ opifex Deus declaravit, mox à principio desipientes ab eâ vanitate revocans, ne Solem Deũ facerent.* Sunt & *Ambrosii* verba eam in rem non minus expressa quàm elegantia *lib. 4. Hexaëm. cap.* 1. quæ, ne prolixior sim, omitto. Id tamen silentio involvere haud queo, quòd ipse *Philo* περὶ κοσμοποιίας eandem rationem ita proponit, ut temeritatem Philosophorum meritò perstringat, qui à suis hypothesibus omnia suspendunt & istas divinæ revelationi præferunt. Nam ejus verba D. Morum quoque spectant & ab ipso hîc fuissent observanda. Vult enim Deum istum ordinem observasse εἰς ἔνδειξιν ἐναργεστάτην κράτους ἀρχῆς *ut evidentissimè imperii sui potentiam ostenderet.* Prævidisse de hominibus, qui tum nondum erant, οἷοι τὰς γνώμας ἔσονται, στοχαστικοὶ τῶν εἰκότων καὶ πιθανῶν ἐν οἷς τὸ πολὺ τὸ εὔλογον, ἀλλ' οὐχὶ τῆς ἀκραιφνοῦς ἀληθείας, καὶ ὅτι πιστεύσουσι τοῖς φαινομένοις μᾶλλον ἢ θεῷ, σοφιστείαν πρὸ σοφίας θαυμάσαντες *quales opinionibus essent futuri, conjecturas verisimiles & credibiles libenter sequentes, in quibus multa quidem commodè dicta, non item sincera veritas, & quod oculis suis magis credituri essent quam Deo, admiratores sophisticæ potius quàm sapientiæ* &c. Ideoque eos voluisse ad historiam creationis remittere: ἀναδραμέτωσαν, φησὶ, ταῖς διανοίαις ἐπὶ τὴν πρώτην τῶν ὅλων γένεσιν, ὅτε πρὸ ἡλίου καὶ

σελήνης

σελήνης παντοῖα μὲν φυτὰ, παντοίους δὲ καρποὺς ἤνεγκεν ἡ γῆ· καὶ θεασάμενοι ταῖς διανοίαις ἐλπιζέτωσαν ὅτι καὶ αὖθις οἴσει, κατὰ πρόσταξιν τοῦ πατρὸς, ὅταν αὐτῷ δοκῇ μηδὲν προσδεηθέντι τῶν κατ' οὐρανὸν ἐκγόνων, οἷς δυνάμεις μὲν ἔδωκεν, οὐ μὴν αὐτοκρατεῖς. *Recurrant, inquit, mentibus ad primam hujus universitatis generationem, meminerintque ante Solem & Lunam omnigenas stirpes omnigenosque fructus è terra proditos. Atque ita sibi persuadeant, & imposterum eam prolaturam eos ex cœlestis patris arbitratu, quoties ei placuerit, non exspectato cœli favore, cui dedit quidem potentiam sed non liberam.* Hæc, prolixiora licet, ideo visum fuit citare, quò D. Morus qui in aliis *Philonis* vestigia premit videat, se hîc multum ab istius doctissimi Judæi religione & circumspectione abesse, & aliter de operibus quintæ ac sextæ diei philosophaturum fuisse, si eodem animo ad historiam Mosaicam accedere voluisset. Nam denique

Objectio V. hæc est

Opera quintæ & sextæ diei nimis vulgaria & trivialia esse, quàm ut sint materia Cabbalæ Philosophicæ.

Quæ non tam Cabbalæ quàm ipsi historiæ Mosaicæ opponuntur vel opponi possunt à tali S. Scripturæ obtrectatore, cui nil sublime videtur nisi quod abstrusum & μετεωρολογίαις refertũ. A D. Moro tamen adeo jejunè refutantur, ut non obscurum sit objectionem domesticam esse, ex proprio penu depromptam. *Basilius* enim aliquis credidisset sibi hîc campum apertum admiranda Dei opera enarrandi inter varia animalium genera, pisces & volucres citandi ad homines arguendos & docendos, explicandi mirabilem corporis humani structuram, idque eo majori efficaciâ, quo magis ista sunt nobis vicina & tamen à plerisque ignorantur. Sed ipse de eo haud solicitus est atque

1. *De operibus quintæ diei* saltem ait, *conjunctionem avium & piscium esse considerationis Philosophicæ. Mosen etiam dum istis distinctè attribuit* mane & vesperam *h. e. principium* activum & passivum, *digitum intendere ad veritatem aliquam magni momenti, ne quis crederet nudam materiam sensus & cogitationis capacem esse, id quod magno præjudicio esset futurum in credendâ ipsius animæ rationalis existentiâ.*

Nihilne inter opera quintæ diei reperire potuit observatione dignum, præter istam fictitiam de principio activo & passivo speculationem, quæ tamen secundùm ipsum omnibus diebus communis est? Annon saltem cetos magnos, nominatim in textu sacro & ab ipso quoque *in Cabbala Philosoph.* expressos, ceu argumentum eximii operis potuisset allegare? Verùm de opinionibus suis Platonicis tantummodo solicitus fuit. Nam &

2. De *operibus sextæ diei* pariter disserit *Append. cap. 11. §. 2* & duo producit, quibus sapientiam Mosaicam in iisdem enarrandis comprobat. 1. Ait *Mosen judicio philosophico usum, quando hominem inter animalia mediterranea recensuit. Magis eundē enim quoad partes corporis interiores ad hæc accedere, quàm vel ad aves aut pisces. Tum quoad externam similitudinem adeo cum simiis convenire, ut evidens sit, hominem & bestias naturaliter ad eandem seriem subordinatam pertinere.* 2. *Magni quoque momenti esse, quod licet tanta convenientia sit inter homines & bestias, tamen Moses adeo distinctè declaret hominis excellentiorem conditionem & naturam planè divinam, qui respectu animæ imago Dei, & (quod notabile) non minus talis propter actuationem corporis terreni, prout & ipse Deus mundum actuat.* Quibus deniq; addit, *mentionem multiplicationis & alimenti concessi æquè esse considerationis egregiæ & magnæ divinæ providentiæ pignora notare.*

Quæ si ad vivum resecanda forent, rursum cum monstris esset congrediendum. Sed sufficiat paucis. 1. Quòd hominem *inter animalia mediterranea* referat contra Scripturam & Cabbalam suam. Jlla hominis creationem à productione animalium distinguit. Et sic ipse *in Cabbala* distinxerat, supra *pag 23.* Nū tanti debuit esse trita apud Logicos *hominis* definitio & scalæ prædicamentalis ordinatio, ut ideò à seipso discederet? 2. Quod errore gemino imaginem Dei velit in animâ relucere etiam eo respectu quatenus corpus actuat. Nam & falsum est Deum esse animam mundi, & erroneum quoque, animā corpus informātem eoipso imaginem Dei referre. Dici nequit quot absurda hinc sequantur, si quis istam analogiam propius spectet. Sed voluerit saltem eò respicere, quod imago potentiæ divinæ in animâ reluceat, quatenus ipsa est principium activum corpus ex se immobile & iners agitans, quod anima discedente concidit; prout Deus materiam mundi actuat & ipsi concursu suo omnem dat vigo-

rem. Bestias sic quoque ad imaginem Dei conditas dicat, (ut de angelis taceam) quoniam & illarum anima corpus actuat & agitat. Imò hanc imaginem transferat ad omnes formas substantiales, quas sibi fingit materiam aliorũ corporum actuare. A quo delirio ipsum non abhorrere colligere licet ex illis quæ scripsit *lib. 1. de Immortalit. animæ cap. 8.* ubi angelos æquè ex animâ & corpore cõpositos dicit ac homines & bestias, (eâ saltem differentiâ, quod illorum *corpus* sit *æthereum* & non possit in *corpus terrenum* per generationem mutari) atque seminales formas in plantis ac animas belluarum *spiritus* vocat *creatos* materiam ritè præparatam *organizantes*, ut terminum quo utitur retineam. Ultima verò quam 3. affert responsio si ab ipso, loco istorum commentorum, unicè adhibita fuisset, potuisset objectioni sati facere, nec opus fuisset isti quicquam addere.

Vidimus itaque hucusq; quanto molimine D. Morus in istis objectionibus, quas sibi formaverat ipsemet, diluendis versatus sit & quàm parùm profecerit suis responsionibus, quæ commentis & opinionum monstris sunt refertæ; Consequens jam est, ut promissi memores ad Philosophorum opiniones circa mundi originem elucidandas & comparandas accedamus.

Sectio II.

De Pythagoræ, Platonis, Judæorum Cabbalistarum & Cartesii diversis circa κοσμοποιΐαν opinionibus à D. Moro in unam Cabbalam compactis.

Cabbalam cum Masora conjungi non solum naturæ legibus congruum est & Judæorum consuetudini, sed ab ipso Cabbalistâ *in Præf. Conject. Cabbal.* agnoscitur. Ad Masoram verò hanc duo requiruntur 1. Ut traditio inde à primo authore de manu in manum derivata sit successione continuâ, vel saltem, si interrupta aliquando fuit, ex eâdem tantùm traditione restauretur. 2. Vt quod in Cabbalam refertur, inde à principio Masoræ continuò traditum sit & ab veris Masorethis acceptum. Quorum nomine non Criticos istos Tibe-

 rienses

rienses in specie, sed totam Doctorum successionem intelligo, qui de traditionibus Mosaicis nominatim κοσμοποιΐα aliquid tradiderunt. Quisquis ista negligit & tamen se Cabbalistam profitetur, non capit sed rapit, non accipit sed decipit seipsum & alios, quibus traditiones adulterinas aut furtim sublatas cum damno vel periculo obtrudit. Id autem D. Morum fecisse, adeo ex omnibus quæ hactenus disputata sunt evidens est, ut fusius id ostendere sit in re liquidâ sermone uti superfluo. Ad majorem tamen convictionem non allegabo jam ipsam traditionis fidem sub lestam & incertitudinem, Cabbalistâ tradentem quæ à nemine acceperat, traditionis successionem interruptam & non ex solâ traditione Judaicâ restauratam, tradita denique quæ nec continuò inde ab initio Masoræ eredita & à nullo quoque Masorethâ sunt accepta, sed ficta, à raptoribus gentilium Philosophis, furtim se in noticiam traditionum Judaicarum penetrantibus, rapta, undique corrasa & convasata, prout phantasiæ Cabbalistæ placebant. Agam liberaliter & largiar ista omnia rectè se habere. Modò inter ipsos Masorethas quos D. Morus sequitur conveniat, istorũ una sit vox & concors καθ' ὅλȣ traditio: non quæram amplius, qui qualesve illi sint, unde tradita acceperint, num aliunde hauserint, rapuerint, vel à se dederint, sed traditiones Mosaicas esse, ritè ac ordine ad textum Mosaicum applicatas, lubens profitebor.

Dispiciamus ergo quomodo inter se consentiant & an de creationis serie eadem tradant *Pythagoras*, *Plato*, *Judæi Cabbalistæ* & *Cartesius*, quos quoad præcipuam Cabbalæ partem & quasi substantiam D. Morus sequitur, licet *Pythagoræos* & *Platonicos*, *Plotinum* & *Philonem* quoque citet subinde *in Defens. Cabb. Philosoph.* Isti si consentiant, de cæteris haud erimus solliciti, sed rem evictam putabimus. Quò verò ad scopum perveniamus, eorundem sententiæ circa ortum & originem rerum. 1. sigillatim erunt enarrandæ. 2. junctim comparandæ, ut ex collatione consensus aut dissensus appareat. Idcirco

I. Exponamus istorum sententias distinctè. Vbi agendum

1. *De Pythagoræ sententiâ circa originem rerum.*

Hanc quidem D. Morus non distinguit à sententia asseclarum ejus Empedoclis Philolai & aliorum quos tanquam Pythagoræos promiscuè

miſcuè producit & ipſorum placita Magiſtro adſcribit. Sed ſeparanda neceſſariò eſt, præeuntibus antiquis & in ſpecie *Plutarcho*, qui illius & horum ſententias diſcriminatim referunt. Itaque (ut ad rem veniamus) ſi illud *Pythagoræ* σύγγραμμα φυσικὸν *volumen Phyſicum* (cujus meminit *Laërtius*) extaret, poſſet quoque ſententia ejus clarius & plenius exponi. Sed cùm illud tam maturè perierit, ut *Joſephus* pariter & *Lucianus* negent quicquā ejus ſupereſſe: (Vid. *Voſſ. de Hiſt. Græc. pag. 435.*) contenti erimus excerpto *Alexandri* qui iſta in Pythagoricis Commentariis ſe reperiſſe apud dictum *Laertium* ſcribit. *Principium quidem omnium eſſe unitatem. Porrò ex unitate indefinitam dualitatem veluti materiam unitati ceu autori ſubjacere. Ex monade vero ac indeterminatâ dualitate numeros gigni, ex numeris puncta, ex punctis lineas, ex quibus planæ figuræ conſtent. Ex planis autem ſolidas figuras, ex quibus item ſolida conſiſtere corpora. Quorum & quatuor elementa eſſe, ignem, aquam, terram, aerem, quæ per omnia ſe mutent ac vertant. Ex illis autem fieri mundum animatum, intelligibilem, rotundum, mediam* (NB) *terram continentem. Quam & ipſam rotundam eſſe & globoſam ac circumhabitari. Eſſe autem antipodas nobisque obverſa veſtigia premere. Æquis etiam partibus mundo ineſſe lucem ac tenebras calidum & frigidum, ſiccum & humidum* &c. *Quod autem ad diem attinet, oriri quidem auroram & veſperam occidere. Unde & inſalubrior eſt. Aerem vero qui circa terram eſt immotum ac morbidum eſſe, ac omnia quæ in illo ſunt eſſe mortalia. Summum autem ſemper moveri & eſſe liquidiſſimum ac ſaluberrimum & quæ in eo ſunt immortalia omnia atque idcirco divina, Solem item & Lunam & reliqua ſidera, Deos eſſe. Quippe in illis ſuperare calorem, qui vitæ autor. Lunam à Sole illuſtrari & hominibus eſſe cognationem cum Diis, quod & homo caloris particeps ſit. Hinc Deum noſtri providentiam gerere. Fatum quoq; omnium & eorum quæ ſunt per partes adminiſtrandorum cauſam eſſe. Penetrare item à Sole radium per æthera frigidum & craſſum uſque ad profunda atque ideo vivificare omnia. Vivere autem, quæ calorem participant. Ideo & plantas eſſe animalia. Animam eſſe avulſionem ætheris calidi & frigidi, atque à vita differre quod anima immortalis ſit. Animalia ex ſe invicem naſci ſeminali ratione* &c. *Quin totum aëra plenum eſſe animabus*

easque & dæmones & heroes existimari, atque hominibus somnia, signa & morbos immittere ut & bestiis &c. Ex quibus non solùm Pythagoræ de ortu rerum sententia, sed etiam physica ejus colligi potest, quamvis omiserim quædam brevitatis ergo, quæ apud ipsum *Laërtium* legi possunt. Observandum imprimis, quod *terram in medio universi* locarit, procul dubio quiescentem. Adeoque dogma de motu terræ ab ipso haud acceperit conterraneus ejus Aristarchus Samius, uti quidam Vir doctissimus absque fundamento suspicatur. Nam & Solem obliquo cursu ferri per Zodiacum credidit, juxta *Plutarch. lib. 2. de Placitis Philosoph. cap. 12. & 23.* Qui etiam refert, eundem Pythagoram putasse mundũ à Deo factum esse interitui obnoxium ex se, sed divina voluntate conservandum *lib. 2. cap. 4.* Ab igne & quinto elemento ejus opificium cœpisse *Ibid. cap. 6* Et cùm sint quinque formæ solidorum, è cubo ortam esse terram, è pyramide ignem, ex octaëdro aërem, ex eicosaëdro aquam & ex dodecaëdro globum universi. *ibid.* Quod verò materiam τρεπτὴν ϗ ἀλλοιωτὴν ϗ ῥευστὴν *mutabilem, variabilem & fluxam* dixerit, autor est *Theodoretus lib. 4. Therapeut.* quamvis *Plutarch. lib. 1. de Plac. cap. 9.* id asseclis ejus saltem attribuat. Hæc de Pythagorâ constant & superioribus addita mentem ejus declarant. Disquirendum jam

2. *De* Platonis *sententia circa κοσμοποιΐαν.*

Id quod supra *pag. 27.* ex Augustino monitum, *Platonis de rebus magnis sententias non facilè perspici posse*, hîc vel imprimis locum habet, quoniam nequidem ipse Latinus Plato *Marsilius Ficinus* se in omnibus putavit mentem ejus eruisse, sed *Compend. in Timæum cap. 14.* monuit, quòd in rebus Platonicis vel conjectura incedamus, vel scientia, atque circa materiam Platonicam duplici conjecturæ locus sit. Aut enim putavit materiam aliquando ex nihilo à Deo creatam simulque formatam tempore. Aut Deum materiam non aliquando novam peperisse, sed ab æterno, similiterq; ornasse quamvis inordinata prius quàm ordinata fingatur. Aut denique materiam semper à Deo fuisse atque continuè, sed non continuè ordinatam: imò per temporum intervalla. Ex quibus quid propriè senserit incertum quidem est. Hoc tamen certum, quod mundus ex voluntate liberâ opificis secundùm ipsum exstiterit & genitus sit,

ad

ad exemplar mundi intellectualis, idque hoc ordine quem ex *Timæo* licet colligere. *Deus bonus opus pulcherrimum conditurus, mundum animal intelligens, aspectui subjectum, unum & unicum constituit. In operis autem exordio ignem primò terramque creavit. Sed cum soliditatem mundus requireret, solida verò non uno sed duobus semper mediis copulentur, inter ignem & terram Deus aërem aquamque locavit. Ex quibus ceu quatuor elementis mundus compactus est, figura sphæricus. In quo animam locando voluit eum circulariter in orbem volvi ipsumque beatum Deum effecit. Anima tamen ista & generatione & virtute corpore erat antiquior, singulari modo & ratione ac proportione geometrica ex variis intervallis composita, intra quam omne corporeum formatum est. Et ipsa per universum mundum sese porrigens eique extrinsecus circumfusa vitæ dedit exordium. Cum verò hoc à se factum sempiternorum Deorum pulchrum simulachrum moveri & vivere pater qui genuit animadverteret, quò illud magis simile redderet primo exemplari, fecit æternitatis in unitate manentis, æternam quandam in numero fluentem imaginem, quam nos tempus vocamus. Dies porrò & noctes & menses & annos qui ante cœlum non erant, tunc nascente eodem nasci jussit. Quem in finem Solem & Lunam aliosque quinque planetas fecit, ut numerus temporis distingueretur & conservaretur. Et hæc septem sidera in diversis orbibus locavit, qui diverso circuitu volvuntur. Lunam in primo supra terram circuitu posuit. Tum Solem, deinde Venerem & Mercurium Soli æquales velocitate. Cæterorum autem stellarum ordines recensere nimis operosum. Omnes verò istos circulos superna Helice varia circuitione revolvit. Atque ut esset tarditatis ac velocitatis illorum mensura, lucem clarissimam Solis in secundo à terra circulo accendit, qui ubi orbem suum peragravit, annum constituit. Tum quatuor animalium genera mundo contineri voluit, deorum cœlestium, avium, piscium & terrenorum animantium. Divini animalis speciem composuit maximè ex igne, rotundum & gemino motu præditum. Ideoque astra illa sunt erroris expertia. Terram autem altricem nostram circa polum per universum extensum alligatam, diei noctisque effectricem esse voluit. Cæterorum qui dæmones appellantur tota θεογονία ex priscorum relatione credenda est. His Deus tum creationem reliquorum animalium cõmendavit & ipsos vim suam jussit imitari.*

Astris

Astris parem numerum distribuens animarum quæ corpori jungerentur, & eodem rursum solutæ, vel ad illud astrum unde egressi redirent, si benè vixissent; sin, in ortu secundo sexu mutato fierent mulieres. Quas cum ita conditas (ne qua penes se futuræ pravitatis causa esset) in terram, lunam atque alio sparsisset, Diis junioribus corporum adaptationem demandavit. Qui ex quatuor elementis unum quoddam corpus efficiebant atque in hoc ipsum tum influente tum effluente corpore animæ divinæ circuitus illigabant. Hi autem in profundum flumen immersi, vi ferebantur & ferebant. Ex quo factum, ut totum animal fortuitâ quâdam jactatione moveretur. Unde variæ offensiones, concussiones & distractiones. Ob quas anima ab initio cum vinculis corporis includitur, amens efficitur. In corpore autem singula membra ad singula animæ officia sunt accommodata. Principio capitis figuram ad rotunditatem mundi finxere. In quo facies & oculorum orbes corruscantes. Tum caput à pectore separarunt cervice & collo interjecto, ne divina animæ pars in cerebro residens contagione corporis pollueretur. Nam in pectore & thorace mortale genus animæ posuerunt, perturbationibus obnoxium, illudque per diaphragma rursum distinxerunt ab ἐπιθυμητικῷ *animæ, cui mediam regionem inde ad umbilicum applicarunt, cùm anteà cordis ardorem pulmonis refrigerio temperassent. Ad eundem modum cætera membra formata sunt. Porrò quicunque virorum injusti timidique vixerunt, in generatione secunda in fœminas sunt conversi. Quo quidem tempore hanc ob causam dii coitus amorem machinati sunt. Aviũ autem genus ex nostro sic formatum ut pro pilis pennas acciperent. In hoc transeunt homines innocentes & simplices, sed simul leves & fatui. Sic & quadrupedum, reptilium & piscium multitudo eâdem* μετενσωματώσεως *ratione orta est.* Hæc Plato in Timæo. Unde inter alia colligitur. 1. Quod tria rerum principia dixerit *Deum, materiam* & *ideas*. Quarũ hæ in imaginatione Dei subsistant uti *Plutarch. de Plac. l.1. c.10.* Quibus *animam universalem* ceu quartũ addit *Justin. Paræn. ad Græcos.* Quamvis de *materia* sibi non constet, probante *Theodoreto lib. 4. Therapeut.* quod alicubi in libris de Republ. manifestè ostendat Deum non ex subjecta materia res omnes procreasse, sed ea quæ prius non erant, ut libitum fuit, produxisse: alibi tamen Deo materiam coëxistere sentiat. De quo egi pluribus in *Disp. contra possib. æternit. mundi.* 2. Quod motum terræ haud cre-

diderit, licet *Plutarch. in Numa* narret, quoſdam velle *eum jam ſenem eadem cum Pythagoræis de terrâ ſenſiſſe & alio loco eam repoſuiſſe, medium verò domicilium alteri] cuidam attribuiſſe præcellentiori.* Et *Cic. in Lucullo* addat, *quoſdam arbitrari id eum in Timæo dicere, ſed paullò obſcuriùs.* Nam verba *Terram autem altricem noſtram* &c. ſuprà relata & à nonnullis eò traducta id non videntur indicare. Sunt enim ex aliis locis Platonis exponenda, nominatim illo *Phædonis*, ubi *terram in medio ætheris jacere ceu in æquilibrio & propter ἰσοῤῥοπίαν non inclinari* pronunciat. Imò ipſo *Timæo*, ubi Soli ſecundam à terra regionem attribuit & eum vult æquali cum Venere & Mercurio velocitate moveri, adeoq; non in medio quieſcere. Sed diſpicamus

3. *De Judæorum Cabbaliſtarum ſententia.*

Sunt iſtorum myſteria, & portentoſis locutionibus involuta, & perpetua obſcuritate damnata. Ad quæ ex *Menahemo Rakanatenſi* & ſimilibus eruenda manum non admovemus. Nam & ipſi Judæi illa volunt eſſe ἀπόῤῥητα. Specimen tamen ſententiæ illorum circa hiſtoriam κοσμοποιΐας petemus ex *Pirke Elieſer* ſeu *Capitulis R. Elieſeris Magni*, quorum magna authoritas, ut patet ex *Majem. Mor. Nevoch. P. 2. c. 26.* Aliorum enim diſcrepantes ſententias ad harmoniã reducere, eſſet ἀσύγκλωστα συγκλώθειν. Sic ergo ille *Elieſer* creationis ſeriem exponit. *Antequam mundus erat creatus, tantùm erat Deus Sanctus Benedictus & nomen ejus. Cum verò propoſuit mundum creare, tum coram ſe tornabat orbem, ſed non conſiſtebat donec reſipiſcentiam creaſſet. Septem autem ante mundum condita ſunt: Lux, Gehenna, Paradiſus, thronus gloriæ, reſipiſcentia, domus ſanctuarii & nomen Meſſiæ. Tum Deus conſilium iniit cum lege (cujus nomen eſt ſapientia vel eſſentia) de mundo creando, atque ita octo creata ſunt* die primo, *nempe cœlum, terra, lux, tenebræ,* Tohu *&* Bohu ſeu *Inane & Informe, Ventus* & *aquæ. Locus cœlorum creatus eſt ex luce veſtimenti Creatoris juxta Pſal. 104. 2. Locus terræ autem ex nive, quæ eſt infra thronum gloriæ. Hanc ſumpſit & diſperſit ſuper aquas & coagulatæ ſunt, indeque factus eſt pulvis. Cardinem verò plagæ ſeptentrionalis creavit quidem, nec tamen conſummavit. Ubi ſedes nocivorum & ſpirituum immundorum & illinc malum in mundum pervenit.* Secundo die *creavit firmamentum, angelos, ignem carnis & ſanguinis & ignem* Gehennæ.

Nisi autem firmamentum esset, absorberetur orbis ab aquis superioribus & inferioribus, ideoque inter has & illas divisit. Tertio die *planicies terræ quasi absorpta erat, atque obtegebant aquæ superficiem totius terræ. Postquam autem egressum est verbum ex ore Potentiæ Dei, confluxerunt aquæ atque ascendentes ex partibus terræ, montium & collium diffusæ sunt super faciem universæ terræ & factæ sunt voragines in medio terræ, quò aquæ confluxerant. Quæ elevatæ sunt ut obtegerent terram, donec Deus eas subjugaret ac mari terminum arenam statueret. Cum verò nondum confluxerant aquæ creata erant luminaria & abyssi, supra quas terra est extensa. Aperuit autem Deus in paradyso ostium, atque inde protulit plantas super faciem totius terræ, arbores, herbas & frutices, quibus rigandis fontes ex abysso ascenderunt.* Quarto die *composuit duo luminaria, æqualia altitudine, figura & luce suâ. Sed cum eisdem contentio de magnitudine & præstantia intercederet, Deus unum paravit majus, alterum minus. Illa verò, ut & omnes stellæ ac signa Zodiaci creata sunt initio quartæ noctis, neque unum fuit prius altero, nisi tantùm duabus horæ partibus. Id autem factum est 21. Augusti* Quinto die *prorepere fecit ex aquis omne genus volucrium, piscium & locustarum. Tum & ex aquis prorepsit* Leviathan *serpens oblongus, cujus domicilium est in aquis infimis, eique omnes majores balænæ in cibum cedunt.* Sexto die *produxit è terra omne genus bestiarum utriusque sexus, mundas & immundas. Quas inter & Behemoth vasta illa bestia quadrupes, cujus cubile est in mille montibus & quolibet die pascuum ejus sunt mille montes. Tum & cætera reptilia producta. Hominem verò condidit colligendo pulverem è quatuor terræ angulis, videlicet rubrum, nigrum, album & viridem, ad sanguinem, viscera, ossa cum nervis & ipsum corpus. Atque huic formationi hominis quinque horas priores diei sextæ impendit, ita ut horâ primâ pulverē congereret, secundâ eum determinaret, tertiâ artificiosè efformaret, quartâ animam inspiraret, denique quintâ eundem super pedes erigeret, formatum juxta similitudinem Dei & creatorē suū laudantem. Ex cujus carne & ossibus Eva est formata, ac ipsi, Angelis paranymphis, in adjutorium conjuncta* &c. Hæc *R.* iste *Eliezer* pluribus *cap.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 11. 12. In quibus si forsitan à mente ejus alicubi aberratum sit, interpreti *Guil. Vorstio* id est adscribendum, cujus fide utendum

fuit,

fuit, dum Hebræa ad manus non erant. Sunt autem pleraque istius traditionis inter Judæos recepta & in *Bereschith Rabba* Sectionibus octo prioribus atque apud alios quoque leguntur, quamvis fatendum sit, librum *Zohar* plura & abstrusiora complecti (quæ nunc eruere non licuit) & *Majem. Mor. Nev. P.2. c. 30.* aliam rationem magis philosophicam sequi. Id unicum saltem notetur, cardinem septentrionalem imperfectum (quod iidem Judæorum magistri ipsâ figurâ literæ initialis ב indicatum volunt) ideo vocari sedem malorum spirituum & originem mali, quoniam Judæi Cabbalistæ credunt, illic esse magnum illud animarum receptaculum *Goph* dictum, & inde easdem ab initio præexistentes in corpora successivè demitti atque lapsas vitium à communione materiæ contrahere. Vid. Doctiss. Medici *Windeti* eruditam *Dissert. Epist. de Vita functorum statu pag. 37.* & *Josephi Voysini Notas ad Disp. Cabbalisticam de anima.* Conatur quidem *Galatinus lib. 2. cap. 3.* ex dicto quodam R. Tanchum (quod in *Beresch. Rabb. Sect. 24.* legitur) probare, antiquis Judæorum Doctoribus istam πρόπτωσιν animarum repugnare. Sed non videtur id ex isto dicto sequi, de quo aliàs agetur. Jam denique spectandum superest, qualis de origine mundi fuerit

4. Cartesii *sententia.*

Hæc ab ipsomet proposita est *Princip. P. III. §. 46. & seqq.* ab *Edvvardo Stillingfleet* quoad hypotheses generales expressa non incommodè *Orig. Sacr. p. 467.* & à *D. Wittichio* ex parte per propositiones quasdam & hypotheses delineata *Dissert. 2. cap. 5.* Ego verò ipsius sententiam totam explicare conabor filo continuo, non immixtis rationibus. Quia hîc tantùm quæritur quid senserit, non cur & quibus argumentis inductus. Quæ si adjungenda forent, tota ejus Physica huc esset referenda. Quod à scopo nostro alienũ est, præsertim quoniam id paucis fieri haud potest, quominus rationibus ejus concatenatis, quarum robur in connexione situm est, aliquid detrahatur. Sunt verò quædam in antecessum observanda, quæ non tam ad defensionem Cartesii quàm ad sententiam ejus genuinè exponendam necessaria sunt. 1 Quòd ipsemet de suis hypothesibus circa originem rerum scripserit, se istas *tantùm ceu hypotheses* assumere, imò quasdam illarum *tales esse quas constet esse falsas.*

Adeoque non in animo habuerit historiam Mosaicam refingere, aut exponere quem modum Deus in creatione secutus sit, sed saltem ingeniosè talem comminisci voluisse ordinem, qui nec Deo creanti aliquid (opinione suâ) derogaret & phænomenis responderet. Id ex pluribus ejus locis clarissimum est. *Princip. P. III. §. 19.* hypothesin de terræ delatione *vult tantùm pro hypothesi non pro veritate haberi*, & §. 44. ait se *omnia quæ deinceps scripturus sit tanquam hypothesin proponere.* Imò expressè §. 45. *Ad res naturales meliùs explicandas, earum causas altiùs hic repetam quàm ipsas unquam extitisse existimem. Non enim dubium est, quin mundus ab initio fuerit creatus cum omni sua perfectione, ita ut in eo & Sol & terra & Luna & stellæ extiterint; ac etiam in terra non tantùm fuerint semina plantarum sed ipsæ plantæ; nec Adam & Eva sint infantes, sed facti sint homines adulti. Hoc fides Christiana nos docet, hocque etiam ratio naturalis planè persuadet.* It. paulo post. *Principia possumus excogitare valdè simplicia & cognitu facilia, ex quibus omnia quæ in hoc mundo aspectabili deprehendimus, oriri* potuisse *demonstremus, quamvis ipsa nunquam sic orta esse* probè *sciamus.* Id quod *Part, IV. §.* 1. repetit, narrans *P. III. §. 47.* se ante conatum esse juxta easdem leges ortū rerum ex chao deducere. Sed omisisse, quod confusio minus Deo quadraret. Itaque qui credunt terram aliquando fuisse sidus, qui Cartesii *potuisse* mutant in *debuisse*, si Deus mundum paulatim oriri voluerit, imò ita ortum esse audacter scribunt atque historiam Mosaicam fidiculis subjiciunt, prout D. Morus facit, à modestia ejusdē Cartesii & veritate procul videntur majori temeritate discedere. 2. Observandū quoq;, quòd in istâ hypothesi suâ Deum creatorē disertè agnoscat, à quo materia fuerit divisa in varias particulas & istis motus impressus. Ut nequeam satis mirari, præter illos qui de opinionibus Cartesii ex præjudicio & affectu judicant etiam Virum eruditum in scriptis ejus haud hospitem *Edvv. Stillingfleet l. c. Orig. Sacr.* scribere voluisse; *conatum esse Cartesium reddere rationem originis universi absque aliquâ Deitate* seu Deo creatore, *& dum nimiū adscribit potentiæ materiæ ac legibus motus mechanicis, eoipso occasionem dedisse in Atheismum propendentibus ut eo in rem suam uterentur.* Tandem tamen, quasi objectionibus Mori excitatum, *necessitatem*

motus materiæ per vim à Deo impressam, agnovisse, uti refert pag. 469. Nam Cartesius aliquot locis expressè agnoverat (in ipsis libris Principiorum) istam vim à Deo impressam, nominatim *P. III. §. 46. Supponemus illam materiã, ex quâ hic mundus aspectabilis est compositus fuisse initio* (NB) à Deo *divisam* &c. Quam vocem D. *Stillingfleet*, dum hypotheses ejus proponit, aut negligenter aut invidiosè omisit. Et §. *85. Globulos istos in principio quàm accuratissimè æquales* à Deo *factos fuisse supponamus*. Non ergo ut melius sentiret à D. Moro demum edoctus est, qui ante illius epistolas id jam publicè testatus erat, sed motum materiæ à Deo motore dependentem agnovit. Quid verò de ortu ipsius materiæ crediderit, æquè disertè profitetur *Princip. P. II.* §. *36. Deus materiam simul cum motu & quiete in principio creavit*. Vt frustra sint, qui ex *P. I. §. 49.* seciùs quid volunt colligere. His præmissis, jam hypotheses ejus quæ κοσμοποιΐαν respiciunt quâ fieri poterit brevitate & perspicuitate ac fidelitate proponamus, missis rationibus, nisi quas necessitas connexionis videbitur postulare. Sententiam enim ipsius nudè ob oculos ponimus, nihil hîc derogantes rationibus quibus nititur, de quarum pondere & connexione in examine speciali erit agendum. Sit ergo hæc juxta Cartesium possibilis κοσμοποιΐας ordinatio. *In principio creavit Deus materiam ejusdem essentiæ per omnia & eandem divisit in particulas quàm proximè inter se æquales & magnitudine mediocres. Unde factum est, ut earum anguli seu quicquid ultra figurã sphæricam in istis eminebat, successu temporis dettererentur atque ita ipsæ evaderent sphæricæ. Anguli autem illi seu particulæ detritæ (ceuramenta materiæ minutissima) ob parvitatem & quod per vias obliquas ac angustas, intervalla nempe particularum sphæricarum s. globulorum rotundorum, ferebantur, tàm faciliùs & celeriùs moveri, quàm in alia adhuc minutiora ramenta comminui potuerint, atque figuram quamcunque subeundo ista intervalla implere. Ex quo* duo elementa *orta sunt*. Primum, *constans ex angulis detritis s. ramentis minutissimis*. Secundum, *ex ipsis globulis s. particulis sphæricis. Quibus deinde* tertium *accessit. Tum materia ita agitata in* tres *quasi* cœlos *divisa fuit. Quorum* primum *in medio universi ubi vortex Solis*. Alterum, *ubi alii vortices innumerabiles, præcipuè stellarum fixarum*. Tertium *complectitur quic-*

quid ultra iſtos duos cœlos eſt, quod tamen nullo modo à nobis in hâc vita ſpectari poteſt. Spatium porrò primi cœli in 14. pluresve, ſecundi in innumerabiles vortices fuit diſtinctum, atque exinde ſidera, cometæ & planetæ orti ſunt. Dum 1. Materia primi elementi ad centra cœli primi & ſecundi confluerent atque ibi corpora quædam fluidiſſima ac ſphærica componeret, nempe Solem & ſtellas fixas. 2. Ob inæqualem vorticum ſitum, (qui in ſtellis fixis etiam ſenſu detegitur) iidem ita moverentur, ut unius vorticis ecliptica ſeu circulus à polo remotiſſimus tangeret polũ alterius, globulis interim ſecundi elementi magna vi à centro vorticum in quibus gyrabantur recedere conantibus, quarum qui proximi centro minores erant & celerius movebantur. 3. Et hinc particulæ quædam primi elementi indiviſæ & triangulares adeoq; ad motum ineptæ ſibique invicem adhærentes & exiguas maſſas oblongas conficientes, utrinque ingreſſæ polos vorticis cujuſque ac motu adverſo ſibi invicem diverſis tamen meatibus occurrentes, in modum cochleæ tribus ſtriis excavarentur, & ſic particulas quæ ſtriatæ vocantur componerent. 4. Hæ verò unà cum aliis ramentis primi elementi mediæ magnitudinis nec celeriùs agitatis, ad corpus Solis alteriusve ſideris pervenientes, à minutiſſimis ſejungerentur, & ceu ſpuma ebullientes in ſuperficie ejuſmodi ſideris ſibi facilè adhærerent moleſque permagnas componerent, ſimiles illis quas maculas Solis vocamus. 5. Hæ maculæ (quæ tertium elementum conſtituunt) in craſſiores minutias diſſolutæ & verſus cœlum expulſæ loca globulorum ſecundi elementi ingrederentur ac ibi conjunctæ magnam molem rariſſimam, aëri vel ætheri potius qui terræ circumfunditur ſimilem componerent, quæ à Sole circumquaque fortè ultra Mercurium ſe extendit. 6. Eædem denique maculæ ſidera vorticum tredecim in cœlo primo & aliorum, quorum numerus ignotus eſt, penitus obtegerent eorumque vortices deſtruerent, ita ut penitus opaci & duri fierent quoad ſuperficiem interiorem à continuo motu ſubſtantiæ ſolaris, atque à vicino vortice abrepti deſcenderent extincti & obtenebrati: Idque 7. hoc diſcrimine, ut qui profundius deſcendebant certam diſtãtiam à ſidere qui vorticis illius ad quem delapſi ſunt centrum occupat, acquirerent fierentque planetæ; qui vero ob ſoliditatem tantum agitationis nacti erant ut ex uno vortice in alium poſſent tranſire, in cometas abirent

abirent. Et quidem 8. *fit ut primùm sidera* quatuor satellitû Jovis *minora versus Jovem*, & duo quæ Saturnum comitantur *versus Saturnum*; Mercurius *autem*, Venus, Terra, (*unà cum toto aëre quo involvebatur*) Luna & Mars *versus Solem delaberentur*, *ac tandem etiam* Jupiter & Saturnus *versus eundem Solem confluerent*. *In ipsâ autem terrâ, ejus suprema regio (nam duæ interiores nobis inaccessæ sunt) primùm divisa fuit in* aërem & *istam* crustam interiorem *ex quâ metalla oriuntur*. *Et cùm hæc* crusta *contineret* particulas ramosas & oblongas, *dum* ramosæ *arctius pressæ jungebantur*, oblongæ *ascendentes* aquam *composuerunt, idque factum est priusquam* aër & *ista* crusta metallorum *perfectè formata essent*. *Cùm etiam alia* particulæ *pleraque* ramosæ *ex aëre deorsum laberentur, eadem in superficie aquæ hæserunt atque ibi crustam quandam composuerunt, quæ cùm valde rimosa esset, tandem confracta fuit, ejusque fragmenta, cùm sibi mutuò fortiter allisa dissiluissent, quicquid in superficie terræ durum est, scopulos maris & montium juga, constituerunt*. Hæc ferè Cartesius *lib.* 3. & 4. *Principiorum*, non quidem eodem ordine, quo hîc expressa sunt, sensu tamen eodem, si mentem ejus satis assecutus sum. Saltem studio nihil mutavi aut omisi, quod ad rem facere videbatur.

Superest jam, ut expositis trium Philosophorum & Judæorum Cabbalistarum de origine rerum sententiis,

II. Horum inter se componantur opiniones. Quò appareat, anne consentiant adeoque D. Morus rectè istos simul potuerit sequi.

Diversitas cuivis easdē ordine percurrēti & conferēti apparet. Licet Pythagoras in multis cum Platone conveniat, imò ferè omnibus, à Judæis tamen & Cartesio per omnia differunt, si noticiam causæ primæ excipias. Sed & contrariantur sibi invicem. Terram circa Solem deferri affirmat Cartesius. Negant Judæi, Plato, Pythagoras. Inventor enim dogmatis est *Philolaus*, qui tamen de gloria inventionis cum *Hiceta* (vel *Niceta*, uti à *Cic.* vocatur) *Syracusano* contendit, teste utriusque *Laërtio in Philolao*. Multa vicissim de ψυχογονία hi comminiscuntur, quæ Cartesius nunquam probavit.

De angulis, particulis & ramentis varia hic ingeniosè excogitat. At Judæi, Plato, Pythagoras, istam Democriticam philosophiam respuunt. Mundum ex quatuor elementis Pythagoras & Plato componunt & educunt, ac animal imò beatum Deum vocant. Id cum Cartesio Judæi Cabbalistæ rejiciunt. Hi de Leviathan & Behemoth splendidè mentiuntur. Cartesius cum Platone & Pythagorâ ad ista commenta ne quidem respiciunt. Et quis omnia enumeret? Vim fecit ergo Cartesio potissimum D. Morus, quem renitentem ad suam Cabbalam rapuit. Affinxit Pythagoræ & Platoni quæ nunquam ipsis in mentem venerunt, atque numerorum mysteria magis absonè quàm ipsi Pythagoræi captavit. Inchoavit Cabbalam à Platonicis figmentis & totam juxta fictitia numerorum mysteria disposuit. Vnum sequi debuisset per omnia. Aut Cartesium, aut Judæos, aut Platonicos. Non verò hinc inde pro lubitu decerpere quæ phantasiæ arridebant, atque ita Centonem ex novis & antiquis constantem consuere. Ægyptiaca fuit Platonis & Pythagoræ sapientia, non Mosaica, uti ex *Diodoro siculo* clarissimè ostendit sæpè citatus *Stillingfl. pag. 425*. Ideo vanus fuit conjector quando Mosen ex Pythagorâ & Platone voluit explicare. Temerarius fuit Cabbalista, quando diversissimorum sententias in unam Cabbalam compegit, quæ ut arena sine calce cohæret atque respectu Cartesianæ hypotheseos contradictionem implicat. Quod *Hermias* Philosophus *in διασυρμῷ gentilium Philosoph.* de istorum circa principia digladiationibus scripsit, id huic Cabbalæ & Pythagoricis istis opinionibus rectè accommodari potest atque hoc Examen obsignabit: σκότος ἀγνοίας ἅπαντα, καὶ ἀπάτη μέλαινα, καὶ ἄπειρος πλάνη, καὶ ἀτελὴς φαντασία, καὶ ἀκατάληπτος ἄγνοια. *Omnia ignorantiæ tenebræ sunt, & nigra fraus, & infinitus error, & imperfecta imaginatio, & incomprehensibilis inscitia.*

F I N I S.

ADDENDA
ET
EMENDANDA
partim authoris, partim typothetæ
SPHALMATA.

Pag, 3. *lin*. *ult*. periculosam esse *adde* & ad utrumque lapidem impingere illam

Pag. 5. *lin*. 11. my *lege* may.

Pag. 11. *lin*. 28. authoritas est. *adde*. Quæ ut ut magna videri posset, humana est & erroribus non tantùm obnoxia sed etiam implicata. Nec juvat illa quicquam earundem authorem, cùm neque illorum vestigiis per omnia insistat & à modestia non dicam Augustini sed etiam Philonis, sua commenta sectando discedat quàm longissimè.

Pag. 12. *lin*. 24. *lege* conspicuas partes.

Pag. 13. *lin*. 7. *lege* Mundum vitæ.

Pag. 13. *lin*. 13. *lege* Umbra quædam ejus extrema &

Pag. 13. *l*. 14. *Post* est *adde additum in secundâ operum Mori editione*. Quâ etiam involuta est *incompossibilitas* & *incommensurabilitas* rerum Itaque.

Pag. 14. *l*. *penult*. *lege* animæ hominum.

Pag. 17. *l*. 13. invisibilis. *Sic in prima edit. legebatur. Sed posterioribus curis correxit author Cabbalæ & juxta eas legendum* divisibilis. *Id quod ex Cartesio desumsit*.

Pag. 18. *lin*. 1. *ita legi debet juxta textum editionis posterioris*; ordinet, (quam semper ambit materia æthera, quæ cœlum vocatur) ut fiat amœna & delectabilis tam hominibus quàm bestiis cùm primùm facta est. Quod

Ibid. *l*. 14. cingantur. *Adde & lege ex eâdem edit*. In quo etiam est æther ille seu cœlum, & sub quo aquæ faciem terræ texissent, nisi providentia ipsius easdem in unum locum congregasset. 10. Et eo ipso fecisset partim terram aridam, partim mare, rivos & scatebras, ad eas comoditates, quæ à quolibet sensu obvio concipi possunt.

Pag. 19. *lin.* 16. adjunxerat *lege* adjunxit.

Ibid. l. ult. luminarium, *adde ex post. edit.* Solium & Planetarum, quæ

Pag. 20. *l.* 6. inserviant *adde ex ead. edit.* (Quod includit, esse planetas ubique per totum cœlum solibus assignatos.)

Pag. 21. *l.* 5. lucere, *Adde ex post. edit.* suas respectivè terras incolentibus. *Quo additamento quid opus fuit, nisi voluit docere Lunam cæterosque planetas inhabitari? Quod credere Lunaticorum est.*

Pag. 21. *l.* 12. efficere *adde ex eâdem* in suis respectivè terris aut planetis. Cùm

Pag. 27. *l.* 13. Nam etsi ita est &c. *Deleatur tota hæc periodus.*

Ibid. l. 26. *lege* Constat de illorum ad Judæos adventu, vel saltem de mysteriis ab ipsis in Ægypto haustis, quæ ad Judaica in multis accedunt. Imò

Ibid. l. 30. pro *Basilius* lege *Ambrosius.*

Pag. 28. *lin.* 11. *post* neglectum, *adde* imò majori audacia pertenderit, Mosen omnia ista quæ ipse præter literam congessit intendisse & sub hâc abscondisse, cùm etiam

Pag. 36. *lin.* 25. *lege* ne ullus lectorum eo prævidente à vero

Pag. 37. *lin.* 20. *lege* si quis Scriptor sciens volens verba sua ita componat

Pag. 40. *lin.* 24. *pro* impssiobili *lege* impossibili

Pag. 51. *lin.* 3. nec citra contradictionem *Dele.*

Ibid. lin. 21. *lege* acsi פרש per *Schin* & פרש per *Sin* idem forent.

Pag. 52. *lin.* 2. compari *lege* comparari.

Ibid. lin. 6. *lege* cognitio, Logica totius contextus consideratio ac analogia

Pag. 57. *lin.* 7. *lege*. Inter istos Judæi 70. facies Scripturæ tribuunt (Vid. *Ab Esræ præf. in Legem, Glass. Philolog. p.* 259, *Cocc. Sanhed. p.* 205.) & Johannes

Ibid. lin. 15. sensu eodem *Adde.* Ut exinde quoq; colligere liceat, *Homilias in Apocalypsin* quæ *Tom.* 9. leguntur non esse *Augustini.* Quoniam harum author *Hom.* 11. triformem Scripturam statuit, intelligendam secundùm historiam, moralem & spiritualem sensum. Quod vult designari per tres Angelos, quorum mentio Apoc. XIV. Nam Augustinus, ut vidimus, quadruplicem exponendi rationem agnoscit. Quam *Amalarius Fortunatus lib.* 1. *de div. offic. c.* 19.

admodum doctè hinc colligit, quoniam mensa tabernaculi quatuor pedes habebat.

Ibid. l. 32. refert. *Adde.* Quâ expositione etiam usus fuit Innocentius III. Serm. 2. in fest. Petri Pauli citante *Glassio Philolog. Sacr. p. 301.*

Pag. 58. *l.* 8. rapit. *Adde.* Quibus similia *Hom. 9. in Num.* extant, ubi hunc triplicem sensum ostendit in mysterio nucis, quæ fructus virgæ Aaronis fuerit, & tribus puteis Isaaci, quorum tertius, sensum sc. mysticum adumbrans, demum dictus fuerit Rehoboth seu latitudo Gen. XXVI. 22. Origenem

Pag. 61. *l.* 10. probetur. *Adde.* Præsertim cùm planè gemella sint, quæ *de similitudinibus auri cum distinctionibus argenti Cant. I.* 11. apud *Origenem* leguntur *Hom. 2. in Canticum.*

Pag. 63. lin. 26. lege respondemus 1. Malè istum sensum Philosophicum à literali distingui, quasi pro libera phantasia eundem eruere aut inferre liceret. 2. De thesi nullam esse in utraque regulâ quæstionem. Sed

Pag. 64. l. 13. erroris. *Adde.* Adeoque verè scripserit de Astronomia *Cyrillus Alex. lib. 5. contra Julian.* quòd sit φυσικῶν καὶ ῥεόντων καὶ εἰκότων βεβυσμένη λόγων h. e. *naturalibus & fluxis & probabilibus rationibus referta.*

Pag. 67. lin. 2. venisse, *Adde*, vel saltem Ægyptiaca quædam Judaicis similia hausisse, tamen de circumstantiis hujus notitiæ &

Ibid. lin. 8. lege ex Laërtio & Tzetze Chiliad. 2. num. 58. & 11. num. 366. Theodoret lib. 2. Therapeut. & Svida aliisque parens notus.

Ibid. l. 23. usurpantur. *Adde.* Quò tamen referri, vetat etymologia & emphasis vocis. Τελεταὶ enim dicuntur ἀπὸ τοῦ τελεῖν h. e. δαπανᾶν à *sumtibus faciendis*, juxta *Suidam* & propriè mysteria in sacrificiis eorumque ritibus designant. Vid. *Lud. Vivem ad Augustin. de C. D. l. 4. c.* 31. & ipsum *Aug. l.* 10. *de C. D. c.* 28. ubi *teletas* cum artibus theurgicis seu magicis conjungit. Tum Celeb. *Hottingeri p. m.* Præceptoris optimi *Analecta pag. 367.* Dici quidem potest

Ibid. l. 25. pro istorum *lege* Judæorum

Pag. 68. l. 6. dicat. *Adde.* Quod nec Tatianus dixit, sed eum malè reddens interpres. Uti patet ex Dracone & Solone, quorum unà cum Pythagora meminit. Itaque εὑρίσκεται γεγονὼς est *invenitur*

fuisse seu *floruisse*. Quod etiam *Cyrillus lib.* 1. *contra Julian.* suo testimonio confirmat. Hæc autem Olympias LXII. juxta
Ibid. l. 16. Qua ratione &c. *Dele hanc periodum.*
Ibid. l. 20 rejicit. *Adde.* Uti quoque ex professo fecit *Joh. Rualdus Animadversione* 4. *in Plutarch.* ubi hujus Plutarchi, Ovidii aliorumque veterum ἀϱ' ἐχίαν eo nomine reprehendit. Ab isto tamen figmento haud alienus est *Clem. Alex.* quando
Ibid. l. 31. laudatus. *Adde.* Imò istum Pythagoram Lacedæmonium Numæ familiarem fuisse à quibusdam asseritur ap. *Plut. in Numa.* De quo infra. *Patricidis*
Pag. 69. *l.* 5. pag. 22. *Adde.* Et junge istis *Tzetzen*, qui *Chiliad.* 11. *num.* 366. prout matrem Pythagoræ tribuit Samæam Pythaidem formosam supra naturam, sic quoad ætatem ipsius à cæteris omnibus dissentiens vult eundem in Sacello Musarum fame mortuum annos natum 99. Propius inquam
Ibid. l. 24. Clem. Alex. l. c. *Adde & lege.* Quem *Sonchedem* tamen *Plutarch. in lib. de Isid. & Osirid.* præceptorem Solonis fuisse dicit & Pythagoræ alium magistrum assignat *OEnuphin* Heliopolitam. Apud Chaldæos Nazarati (vel *Zara*, uti *Cyrill. lib.* 4. *contra Julian.*) Assyrii
Ibid. l. 31. Xylander. *Adde.* Quem sanè hîc hallucinatum graviter textus Græcus me jam docet, ubi expressis verbis legitur: Ζαϱάτας ὁ Πυθαγόϱȣ διδάσκαλος. Licet Xylander transtulerit, *Zaratas Pythagoræ discipulus*
Pag. 70. *l.* 4. *post* Zoroaster *Adde.* enim Assyrius fuit & ea ætate vixit ut possit inter præceptores Pythagoræ referri. Nam Zaratus Medus & Zoroaster Proconnesius apud *Plin. lib.* 30. *cap.* 1. non videntur ab isto Nazarato, Zarete & Zara differre. Potuit etiam Zoroaster ille Pythagoram docere, quamvis ætate propemodum isti æqualis fuerit & ævo Cyri vixerit, ut rectè *Ursinus Exercit. pag.* 32. 33. A quo parùm abest, quod Abulfaragio
Ibid. l. 19. *post* cap. ult. *Adde* Quò facit *Plinii* testimonium *lib.* 30. *c.* 1. qui Pythagoram ad Magiam discendam navigasse scribit, exulantem veriùs quam peregrinantem.
Pag. 76. *lin. penult. pro l.* 6. *lege l.* 9.

Pag. 77. l. 2. post videtur *adde* Imò Eusebius de eo tacet ac saltem eadem quæ Josephus verbis ipsius narrat *lib. 9. c.* 16. non *c.* 4. ubi nil de Abrahamo habetur. Citat

Ibid. l. 24. loquitur. *Adde.* Licet magis verisimile sit Pythagoram eandem ab aliis hausisse, ut testatur *Euseb. de Præp. Evang. l.* 10. *c.* 4. Sive

Pag, 78. l. 14. *post* Psal. CV. 22. *Adde* Nec minus huc faciunt rationes, quibus Josephum esse Mnevin probat in omni antiquitate versatissimus *Ursinus Exerc. fam p,* 161. Quod si

Pag. 81. *l.* 17. *post* allegatus est *Adde* Qui tamen nec ipse excipiendus, si *Danæi* explicationem sequamur, qui *in tract. de Antichristo cap.* 20. etiam hunc numerum ad chronologiam refert.

Pag. 83. l. 29. pro *δοκει lege δοκεῖ*

Pag. 84. l. 9. effictus, *adde.* (Cui addictus quoque fuit *Freculphus Chron.* Tom. 2. *lib.* 1. *c.* 11. qui exinde primos Christianos monachos fuisse colligit, secutus Hieronymum qui idem fecerat.) perquã

Ibid. lin. 13. *lege ἁγιώτατος*

Pag. 85. l. 26. constituitur *adde* ex Stoicorum sententia, quam *Cicero* exponit *lib. 4. Tuscul.* cùm tamen

Pag. 88. *l.* 18. *pro ἀβληψίαν lege ἀβλεψίαν.*

Pag. 90. l. 6. fuerit, *adde* (vel *auditor,* uti alia lectio habet, cui tamen ista *Sophronii* versio repugnat) licet

Pag. 93. l. 33. pro *ἀπέχουσι lege ἀπέχοντι*

Pag. 100. *lin.* 27. *pro* Judæorem *lege* Judæorum.

Pag. 101. *lin.* 5. *pro* Gen. XVII. 2. *lege* Gen. XVII. 20. *Et pro verbis Hebraicis* וארכה אותך *substitue* והרביתי אתו.

Ibid. l. 12. *post* credidit. *Adde.* Vel potius respexit ad verba vers. 20. והרביתי אתו במאד מאד: de Ismaele prolata.

Ibid. l. 15. *post* enumerentur *lege* Gen. XXV. 16. juxta promissionem factam cap. XVII. 20. ubi tamen Hebr. נשיאם Græci per ἔθνη *gentes* reddunt. Denique

Pag. 102. *lin.* 24. pro הסיודות *lege* היסודות.

Pag. 103. *lin.* 2. *pro* literum *lege* literarum.

Pag. 105. *lin.* 7. *pro* העובות *lege* הצובות.

Pag. 109. *lin.* 23 *pro* cognitione *lege* cognatione.

Pag. 112. *lin.* 23. *post* quæ *adde* ex *Eusebio* desumta est *Præpar. Evang. lib.* 10. *cap.* 5. & 11. *cap.* 6. Hieronymo id dissimulante atque hisçe
Pag. 114. *lin.* 11. *lege* Cabbalæ
Pag. 118. *lin.* 23. *lege* Athenæus.
Pag. 119. *lin.* 17. *dele* author,
Pag. 147. *lin.* 6. *lege* compositos.
Pag. 150. *lin.* 20. *pro* duplici *lege* triplici.
Pag. 156. *lin.* 3. *pro* voluisse *lege* voluerit.
Pag. 157. *lin.* 9. *lege* edoctus est, utpote qui ante hujus Epistolas
Ibid lin. 23. *post* mediocres. *adde periodum à typographo omissam* Quibus motum impressit sic ut per varios circulos agitarentur. Unde
Pag. 156. *lin.* 6. *lege* nam
Commata verò quæ hinc inde redundant Lector æquus ferat aut auferat.



INDEX I.

LOCORUM SCRIPTURÆ obiter explicatorum aut vindicatorum.

INDEX. II.

VERBORUM, RERUM AC AUTHORUM, maximè Veterum, qui ex αὐτοψία citantur laudantur aut notantur.

nume-

Cud-

Justi-

Spiri-

NOMINA RESPONDENTIUM

Juvenum ornatissimorum, qui has Dissertationes defenderunt.

Joh. Ludovicus Böhm, Decensis.
Joh. Henricus Dehn, Herbornensis.
Joh. Ludovici, Sigenensis.
Joh. Georgius Musculus, Freiendicensis.

FINIS.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN 1967